PHARMACOPOEA

SLESVICO-HOLSATICA

REGIA AUCTORITATE

EDITA.

K I L I A E,
LIBRARIA UNIVERSITATIS.

1 8 3 1.

PHARMACOPOEA SLESVICO-HOLSATICA

REGIA AUCTORITATE

ET SUB

AUSPICIIS

COLLEGII REGII SANITATIS

SLESVICO - HOLSATICI

EDITA

A

DR. C. H. PFAFF,

AUGUSTISSIMO REGI DANIAE A CONSILIIS STATUS,
MEDICINAE ET CHEMIAE IN ACADEMIA KILIENSI P. P. O.,
ORDINIS DANEBROGICI EQUITE AURATO.

KILIAE,
LIBRARIA UNIVERSITATIS.

1831.

PRAEFATIO.

Pharmacopoea Danica, anno 1772 edita, quae hucusque in Ducatibus Slesvici et Holsatiae Codicis medicamentarii publica lege sanciti auctoritate valebat, quamvis tempore, quo in lucem prodiit, opus multis nominibus praeclarum, jam pridem praxi medicae et pharmaceuticae, quae ab isto inde tempore gravissimas subiit mutationes, perfectionemque nacta est pleniorem, respondere desiit.

Non magis novissima editio, quae anno 1805 prodiit, usui sufficere potuit, cum 25 abhinc annis publicata jam et ipsa revisione atque retra-

ctatione egeat integra. Pharmacopoearum diversarum, quae nuper in usum singularum Germaniae apparuerunt regionum, inter quas nuncupamus Pharmacopoeam Bavaricam, Hassiacam, Hannoveranam, Hamburgensem, inprimisque recentissimam Borussicam, quamvis multis praeditae sint virtutibus, una alterave Ducatibus ut publica auctoritate sanciretur, commodum non videbatur consilium, tum quia quaevis regio ob propriam locorum atque situs indolem proprias prae se fert necessitates, quas nulla ex istis Pharmacopoeis explere posse videbatur; tum quia in dispositione, vel nominum ratione, vel ipsa tractatione principia sequebantur earum auctores, cum quibus consentire non potuimus, ut taceam, nullam defectus esse liberam, a quo iterata editione quaevis certe prodiret purgata. Itaque ut, quae res est maxime necessaria, in Ducatibus stabiliretur constans medicaminum praeparandorum modus, atque ut medicamina eadem vi atque indole praedita ex officinis prodirent pharmaceu-

ticis Ducatuum, nec non ut perturbato rerum statui, quem omnes, inprimisque Pharmacopoei — non amplius, quid jus fasque esset, scientes — aegre ferebant atque lamentabantur, finis imponeretur, nihil reliquum erat, quam ut pararetur *Pharmacopoea Slesvico-Holsatica*, quae, quoniam placuit indulgentissimo *Principi* mihi hunc laborem demandare, a me composita, recensioni Collegii Sanitatis Slesvico-Holsatici subjecta, approbatione ejus munita, jussu Regio jam in lucem publicam prodit.

Nostra aetate quaestio, de optima ratione concinnandae Pharmacopoeae, scriptores magnopere exercuit, inprimis ea, cum novissima pararetur Pharmacopoeae Borussicae editio, tam solide atque plene ventilata est, ut aliquid addere superfluum videri posset. Summa eo redit, ut Codex medicamentarius, qui in provincia aliqua legis vim obtinere debet, ita sit compositus, ut Medici certissime sibi persuasum habere possint, medicamina, quae nomine vel synonymo, quo in Pharmacopoea sunt

insignita, praescribunt, ejusdem semper indolis atque virtutis in omnibus officinis pharmaceuticis Provinciae parari, atque Collegia Sanitatis publicae curam pharmacopolarum, duce ista Pharmacopoea, legitime atque strenue gerere possint.

Reliqua pro superfluis habemus. Etenim Pharmacopoea compendii pharmaceutici vicem non gerit, in eo potius fundata est, supponit Pharmaceutas sufficienti doctrina instructos, usu artis pharmaceuticae exercitatos, ita ut operas secundum regulas a Pharmacopoea praescriptas exsequi possint.

Quod ad *Simplicia* attinet, quae ex plantis domesticis originem trahunt, sufficere videbatur, nomine systematico annotando Pharmaceutas edocere, genuinum parare sibi medicamentum; Medicusque visitans ope obvii cujuslibet compendii botanici, num genuina sit herba medica, facile probabit. Nec breves istae descriptiones, quae in Pharmacopoeis passim reperiuntur, plane sufficiunt. Incongruum quoque videbatur, corporum

e peregrinis regionibus ad nos allatorum, quorum in medicina usus est, notissimorum, quae vel vulgares mercatores bene dignoscunt, e. g. Mali citrici, Aurantii, Amygdalarum, Baccarum et Foliorum Lauri etc. adjicere descriptionem. Necesse autem erat accuratius describere omnes istas merces medicas, diversissimae indolis atque qualitatis, quae a mercatoribus e regionibus exteris apportantur multisque modis adulterantur, et ad quas recte definiendas non satis est solius nominis notitia. Quae gravioris sunt momenti, uberiorem, ut aequum est, nacta sunt tractationem, ita tamen, ut fines Pharmacopoeae non transgrediamur, quae in afferenda characteristica id potissimum spectat, ut de identitate corporis in medicina adhibiti in omnibus pharmacopoliis tutissimum sit judicium. Ob eandem causam Praeparatorum omnium, quae ex officinis vel chemicis vel similibus arcessere licet Pharmacopolis, characteres adpositi sunt; ulterior explicatio quoad reliquas affectiones atque rationes

chemicas et compositionem, et quae sunt id genus alia, a Pharmacopoeae consilio abhorret. Ex variis modis, quibus Praeparata depravantur aut adulterantur, eos tantum adferre placuit, qui vel ex ipsa praeparationis ratione furtim nascuntur, vel notissimi sunt, vel ex characteristicis antea expositis intelligi nequeunt.

Exactissima omnium artificiorum, quae ad praeparationem medicamentorum pertinent, expositio, ut Pharmaceutae facultas donetur, medicamentum id ipsum, quod in Pharmacopoea definitur, praeparandi, necessaria erat; nec deesse poterat ad characteristicam sufficiens notarum enumeratio, qua probitas dignoscitur, nec non vitiorum aut inquinationum, quae ad modum praeparationis ipsum referuntur; ut dubia et desideria, quae Medici visitatores contra ista Praeparata, et contra ea quae ex officinis arcessuntur venalia, movent, legis auctoritate praemunirentur.

Notissimum est, praeparandi vias quam plurimorum Praeparatorum novissimis decenniis ela-

psis sensim et perfectiores et simpliciores apertas fuisse; longe tamen abest, ut Pharmacopoeae hac in re consentiant. Nos autem non nisi eam methodum praeparationis admisimus, quam bonam et consiliis nostris accomodatam ipsi nostris comprobavimus experimentis. Pharmaceutae integrum esse potest, medicamenta secundum aliam, quam quae in Pharmacopoea traditur, methodum, cui fortassis longa exercitatione adsuetus est, aut quam singularis quaedam officinae constructio commendat, praeparare, dummodo idem medicamen ejusdem efficaciae et justae qualitatis paretur; id enim maxime est tenendum, in hoc cardo rei versatur. Hac de causa ut Civium et Medicorum securitati atque fiduciae omnino prospiciatur, cuivis Praeparato adpositae sunt notae accurate designatae. Quod delectum medicamentorum attinet, usum, qui ex longa experientia invaluit, potissimum secuti sumus, ita tamen ut medium quoddam teneremus; atque duplicem sic nos vitasse speramus vituperationem, alteram,

cum Pharmacopoeam nostram non tamquam farraginem omnis generis medicamentorum, adeoque obsoletorum, quorum unica auctoritas vulgi superstitiosa opinio, misere compilarimus; alteram vero, cum a contraria ratione, quae in nimio simplicitatis studio cernitur, abstinuerimus, ne primario Pharmacopoeae consilio, quod ad legitimam atque plenissimam officinarum curam atque custodiam pertinet, officeretur. Complures, quas vocant formulas magistrales, singulorum quorundam Medicorum, cum Pharmacopoeae nostrae ea esset conditio, ut integrae provinciae scriberetur, necesse erat omitti.

Cum non sine summa difficultate, aut vix ac ne vix quidem obtineri potuisset, ut officinas Ducatuum in duas dispesceremus classes ratione habita venditionis, quae vel latius pateret, vel exiguis finibus contineretur, ita ut classi minores officinas complexae delectus medicaminum magis circumscriptus praescribi potuisset, consultius visum est, medicaminum ipsorum duas con-

stituere classes, quarum altera, signo □ notata, complectitur insigniora quorumque praecipuus est usus; quae quidem quovis temporis momento in omnibus officinis pharmaceuticis parata esse debent, ut continuo Medicus ea habeat in promtu; altera vero, signo isto carens, illa medicamina comprehendit, quae non necessario prostabunt, quamquam Pharmacopolae est officium, Medico postulante medicamina ista quanta maxima potest celeritate aut praeparare aut aliunde arcessere.

In classem *Simplicium* non recepimus corpora ad domesticos usus pertinentia, quae quovis momento ex taberna mercatoris aut pistoris recentiora et melioris notae petuntur, quam e pharmacopoliis si quae sunt, quibus harum rerum copia est, ut Lac, Panem triticeum, Ova, Farinam avenaceam, Alicam ex hordeo et reliqua.

Nomina, quae Pharmacopoea Borussica induxit, in Germania septentrionali jam communi con-

sensu recepta et nos praecipue admisimus. Cum vero sint Medici tam aetate provectiores, quam vestigiis praeceptorum insistentes juniores, qui antiquis inhaerent nominibus, adjunximus quoque antiquiora nomina, quae longo usu in officinis invaluerunt; praeterea, praeeunte recentissima Pharmacopoea Borussica, Praeparatorum chemicorum nomina secundum rationem, quam Franco-Galli novae terminologiae chemicae auctores secuti sunt, formata adjecimus. *Kali borussici* nomen praetulimus, tum brevitatis caussa, tum quia nulla alia denominatio libera est ab objectionibus.

Efficacissimorum remediorum, quae heroica appellant, ad classem fere venenorum pertinentium, tabulam dosium ad normam Tabulae II[dae] in Appendice Pharmacopoeae Borussicae hanc ob causam non addidimus, quod de dosibus his maximis Medici non consentiunt, et quod regulam a Pharmacopoea ista datam, doses adhuc majores, si quae praescribuntur, signo (!!) designan-

di in praxi neglectum iri probabilis est suspicio; consentaneum tamen duximus, remedia ista singulari nota ††† adjecta magis conspicua reddere.

Ordinem alphabeticum in disponendis remediis strenue servavimus, qui ad usum practicum maxime accomodatus reliquas disponendi methodos longe antecellit, hac ratione vitaturi varias Criticorum reprehensiones, in quas incurrit Pharmacopoea Borussica, cui alius ordo placuit, a quo tamen et ipsa nimis saepe recessit, ita ut non raro difficile sit, remedium aliquod invenire, nisi indicem inspicere velis.

Quod in adornanda hac nostra Pharmacopoea varios, qui de eodem argumento exstant, melioris notae libros omni cura et studio in nostros usus convertimus, atque adeo quaedam ex illis ad verbum transscripsimus, id sane operi nostro apud cordatos Judices non ultimae erit laudi. Si quis nostra aetate hoc sibi sumeret, ut no-

vum opus hujus generis se de integro conditurum esse promitteret, nae iste arrogantiae crimen vix effugeret. Omnia examinavimus, optima elegimus, et, quod laudi nobis ducere liceat, non improbanda adjecimus.

Kiliae, 31. Martii 1831.

D. C. H. Pfaff,
Augustissimo Regi Daniae a Consiliis status,
Medicinae et Chemiae P. P. O.,
Ordinis Danebrogici Eques auratus.

PRAEMONENDA

QUOAD PONDERA, SIGNA ET METRUM CALORIS.

Pondera in nostris officinis usitata et in hac Pharmacopoea adhibita desumta sunt a *Libra Norica*, medicinali sic dicta, quae aequalis est 357,66391 grammis gallicis, et quarum triginta aequant quadraginta sex marcas Colonienses. Libra medicinalis in editione novissima Pharmacopoeae borussicae usitata libra nostra medicinali seu norica levior est, aequalis scilicet 350,78348 grammis gallicis, ceterum uti nostra in Uncias, Drachmas et Grana eadem proportione divisa.

Libra	continet	Uncias duodecim,
Uncia	—	Drachmas octo,
Drachma	—	Scrupulos tres,
Scrupulus	—	Grana viginti.

Mensuris nunquam, sed semper ponderibus liquorum quantitas indicanda est.

Pondus specificum pondere absoluto, uti vocant, determinetur cum pondere aquae destillatae ejusdem voluminis seu, quatenus ad pondus specificum liquorum attinet, in eodem vase includendae comparato calore 15 graduum thermometri Reaumuriani. Ad calorem determinandum thermometro Reaumuriano usi sumus. Medium caloris gradum (temperaturam ordinariam seu mediam) + 12 usque + 14 circiter aequalem posuimus.

Quae Medicamenta, tam simplicia quam composita ac praeparata, quaeque Reagentia signo □ notata inveniuntur, ea sunt quae etiam in minimorum oppidorum et vicorum pharmacopoliis omni tempore praesto esse debent.

Signo trium crucum ††† *Venena* et Medicamenta sic dicta *heroica* designavimus, eo monentes Pharmacopolas de singulari cura in servandis et dispensandis talibus medicamentis.

Plantas in nostris provinciis indigenas asterisco * designavimus.

MATERIA PHARMACEUTICA.

PARS PRIMA,

CONTINENS SIC DICTA SIMPLICIA ET PRAEPARATA, QUAE NON NECESSARIO A PHARMACOPOLIS IPSIS PARANDA SUNT, SED EX OFFICINIS CHEMICIS DESUMI POSSUNT.

□ Acetum vini. *Weinessig.*

Paratur in officinis propriis e variis liquoribus vinosis fermentatione acida.

Liquidum tenue, limpidum, flavescens, odoris proprii, saporis gratie et satis acidi, et tantae aciditatis, ut unciae duae sufficiant ad kali carbonici puri drachmam perfecte saturandam. Adulteratio cum acido sulphurico dignoscitur, si per plumbum aceticum praecipitatum album progignitur, in acido nitrico diluto haud solubile; adulteratio cum acido muriatico, si solutio argenti nitrici sedimentum dejicit album in liquore ammonii caustici solubile; inquinationem cum noxiis metallis, ut cupro aut plumbo, monstrat praecipitatum fusco-nigrum admixta aqua hydro-sulphurata. Acrimonia spuria ex adhibitis vegetabilibus nata post neutralisationem cum kali carbonico gustu facile detegitur. Addita tinctura gallarum sedimentum floccosum neutiquam edat.

□ **Acidum pyrolignosum crudum.** *Roher Holzessig.*

E lignis variis praesertim durioribus in officinis chemicis paratur destillatione sicca.

Liquor acidus, fuscescens, odore empyreumatico. Aciditatem aceti vini crudi saltem habeat.

□ **Acidum succinicum crudum.** *Sal succini. Rohe Bernsteinsäure. Bernsteinsalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum e succino destillatione sicca.

Crystalli subcohaerentes, flavescentes, odoris olei succini, saporis insigniter acidi simul bituminosi, igne cum nidore tussim excitante plane avolantes, in aquae viginti partibus, relicto oleo, in spiritus vini rectificatissimi bullientis duabus partibus plane solubiles. Cum calcaria usta tritae ne odorem ammonii exhalent.

□ ††† **Acidum sulphuricum anglicum.** *Oleum vitrioli anglicum. Englische Schwefelsäure. Englisches Vitriolöl.*

Praeparatum officinarum chemicarum combustione sulphuris adjuvante acido nitroso.

Liquor acidus, corrosivus, coloris expers, vel leviter fuscus, limpidus, non fumans, consistentiae

suboleosae. Sit ponderis specifici 1,840—1,850. Adulteratio cum plumbo, aut, quod rarissime occurrit, cum arsenico dignoscitur praevia dilutione acidi cum aqua ope ammonii hydrosulphurati, quo color fuscus aut flavus gignitur. Servetur in lagenis vitreis vel murrhinis embolis paribus.

□ †††Acidum sulphuricum fumans. *Oleum vitrioli fumans seu Nordhusianum. Rauchende Schwefelsäure. Rauchendes oder Nordhäuser Vitriolöl.*

Praeparatum officinarum chemicarum destillatione sicca ferri sulphurici usti.

Liquor fuscus, limpidus, percausticus, oleosae consistentiae, in atmosphaera vapores griseo-albos, acidulos, suffocantes emittens. Sit ponderis specifici 1,860—1,900. Inquinatio cum selenio in acido sulphurico fumante in Bohemia parato interdum occurrens dilutione cum aqua detegitur, qua selenium sub forma praecipitati rutili dejicitur, quod siccatum in flamma tubuli ferruminatorii fusum odorem raphani spargit. Ferro inquinatum admixto liquore kali borussici praecipitatum coeruleum praebet.

□ Adeps suilla. *Axungia porcina. Schweineschmalz.*

Pinguedo abdominalis recens Suis Scrofae Linn.

Non nisi bene elota adhibeatur.

□ ††† **Aerugo.** *Viride Aeris. Grünspan.*

Praeparatum officinarum chemicarum e laminis cupreis vinaceis fermentantibus aut vaporibus aceti corrosis.

In panibus aut frustis deformibus venalis. Sit compacta, viridi-glauca, impolita, triturae cyaneae, difficulter rumpenda, fractura terreo-lamellosa, crystallis minutis mixta, in acido sulphurico vel aceto fere tota solvenda. Servetur in vasis probe clausis.

Agaricus vide **Boletus Laricis.**

□ **Aloë lucida s. succotrina.** *Glänzende oder Succotrinaloë.*

Succus aëre induratus e foliis resectis Aloës spicatae Thunberg, fruticis Africae australis, aliarumque Aloës specierum hujus regionis. Colligitur etiam ex Aloë vulgari in India occidentali et orientali.

Frusta e croceo fusca, margine subdiaphana, splendentia, friabilia, odoris submyrrhini, saporis peramari nauseosi, in spiritu vini ex toto, in aqua quoad maximam partem solubilia.

□ **Alumen crudum.** *Alumina sulphurica cum Kali sulphurico vel Ammonio sulphurico et aqua. (Sulphas aluminico-kalicus, vel*

aluminico - ammonicus cum aqua.) ***Roher Alaun.***

Praeparatum e mineris aluminis in officinis propriis.

Sal in frustis crystallinis, albis, subdiaphanis, sapore e subdulci austero, in aquae sedecim partibus solubilis.

Rejiciatur flavescens et impurum ob admixtum ferrum vel cuprum, quae addito liquore kali borussici et ammonii caustici dignoscuntur.

□ **Ammoniacum vulgo Gummi ammoniacum.** ***Ammoniakgummi.***

Succus aëre induratus plantae adhuc ignotae Africae orientalis et Persiae.

Gummi - resina aut ex granis albo - flavescentibus, intus lacteis, subnitidis, opacis, ut plurimum inter se conglutinatis (Ammoniacum electum s. in granis), vel ex substantia flavescente seu rufescente cum granis subrufis intermixta constans, ac glebas formans (Ammoniacum in massis), frigore duriuscula, fragilis, calore tenax, digitis agitata mollescens, odoris gravis, et saporis primum subdulcis, dein amaro - nauseosi, subacris. Aqua triturata maxima ex parte suspenditur, et fluidum lactescens praebet, in alcohole ad dimidiam fere partem solubilis, solutione flavo - rufescente. A quisquiliis per pulverisationem in frigore depuranda.

Ammoniacum in granis usui interno, et in massis pro usu externo in emplastris etc. adhibendum. Serva pulverem in vitro obturato.

□ **Ammonium carbonicum crudum.** *Alkali volatile crudum. (Carbonas ammonicus crudus.) Rohes kohlensaures Ammonium. Rohes flüchtiges Laugensalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum ex ammonio muriatico sublimatione cum creta, aut depuratione destillati ex partibus animalium obtenti.

Sal in crystallis cohaerentibus, compactis, friabilibus, albis, superficie mox pulverulentis, in aëre tandem plane fatiscentibus, fauces naresque inter respirandum valde irritans, et odore peculiari insigni, in igne plane avolans, in aquae duplo solubilis. Diutius aëri expositus multo mitior quoad odorem et effectum irritantem evadit attractione acidi carbonici. Interdum cum plumbo, ammonio hyposulphuroso et ammonio muriatico inquinatus est. Ad priorem inquinationem detegendam solutioni neutrali ammonii in acido nitrico aqua hydrosulphurata admisceatur, qua praecipitatum fuscum gignitur; contaminationem cum ammonio hyposulphuroso monstrat solutio argenti nitrici, solutioni ammonii in aceto diluto addita, qua praecipitatum oritur primum album mox sub agitatione fuscescens; ammonium muriaticum

ammonio carbonico immixtum cognoscitur praecipitato albo caseoso in solutione neutrali ammonii in acido nitrico admixta solutione argenti nitrici enato.

Ad usum pharmaceuticum a plumbo et ammonio hyposulphuroso plane sit liber et non nisi pauxillum ammonii muriatici contineat.

Serva in vase bene clauso.

□ **Ammonium carbonicum pyro-oleosum crudum.** *Sal volatile Cornu cervi. (Carbonas ammonicus admixto oleo empyreumatico.) Rohes brenzlicht-öliges kohlensaures Ammonium. Flüchtiges Hirschhornsalz.*

Paratur in officinis chemicis ex ossibus aliisque partibus animalium destillatione sicca et sublimatione.

Sal in crystallis cohaerentibus, friabilis, e flavescenti albus, vel albus, odoris ammonii et olei empyreumatici penetrantis, haud ingrati, saporis paris subcaustici, in igne plane avolans, in aquae partibus duabus solubilis, solutione opalina, saepe relicto oleo. Serva in vase bene obturato, loco sicco.

□ **Ammonium muriaticum crudum.** *Sal ammoniacum crudum. (Hydrochloras ammonicus crudus.) Rohes salzsaures Ammonium. Roher Salmiak.*

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sal in placentis supra convexis, infra concavis, albis, subdiaphanis, extus fuligine interdum denigratis, quoad texturam fibroso-radiatis, subtenacibus, ponderis specifici 1,450, sapore acri, salino, in aquae partibus tribus media temperatura solubilis, igne avolans.

Non nisi sublimatus adhibeatur. Cave a sale ammoniaco in forma conica, sacchari albi raffinati habitum aemulante, ut plurimum ammonio sulphurico vel quoque natro sulphurico adulterato, quae adulteratio cognoscitur praecipitato albo in solutione salis aquosa admixto liquore barytae muriaticae. Serva in vase clauso loco sicco.

□ Amygdalae amarae. *Bittere Mandeln.*

Amygdalus communis Linn. Arbor Africae borealis in Europa meridionali culta.

□ Amygdalae dulces. *Süsse Mandeln.*

Amygdalus communis Linn. Varietas.

Amylum. *Kraftmehl.*

Tritici variae species cultae. *

Amylum Marantae. *Arrow-Root Anglorum. Pfeilwurzelmehl.*

E tuberibus Marantae arundinaceae Linn. et aliarum Marantae specierum, plantarum

perennium Indiae occidentalis, praesertim Jamaicae loco natali paratum.

Pulvis subtilissimus, albissimus, inodorus, in aqua frigida et alcohole haud solubilis, in aqua fervida solubilis et gelatinam sistens inodoram.

Cave ne alieno amylo mixtum sit, minus subtili, odore et gelatina crassiore cum aqua fervida enata dignoscendo.

□ Argentum foliatum. *Blattsilber.*

Praeparatum officinarum technicarum.

In acido nitrico penitus solvatur, solutione limpida, coloris experte, quae instillato liquore argenti sulphurici nihil praecipitati albi emittat, et addito liquore kali borussici nullum colorem ducat.

□ †† † Arsenicum album. *Acidum arsenicosum. Weisser Arsenik.*

Praeparatum in officinis metallariis e mineris arsenici, cobalti et aliis sublimatione.

Arsenicum oxydatum, massam referens scoriformem compactam, albam, recens subpellucidam, tempore opacam, super prunis sub forma fumi albi avolans, cum nidore alliaceo, in aqua destillata aegre solubile. Perniciosissimum venenum summa cautela secundum leges servandum.

□ Asa foetida. *Stinkender Asand.*

Succus aëre condensatus e radice resecta Ferulae Asae foetidae Kaempferi plantae perennis Persiae.

Gummi-resina formans glebas conglutinatas, granis mixtas, aut quasi colliquatas, quae sint lutescenti-albidae, attactu aëris sensim roseo aut amethystino rubescentes, saltem in granis intermixtis, subdiaphanae, et in fractura conchoidea splendentes, splendore pingui, consistentiae cereo-tenacis, calore manus facile emolliendae, nidoris alliacei nauseosi insignis, saporis amariusculo-alliacei. In aqua macerata largitur solutionem sordide rufam turbidam, relicta pasta quasi cretacea. In spiritu vini rectificatissimo solum ex parte solvitur, solutione rufa. Grana intermixta sint inflammabilia, nec deflagrantia picem redoleant. Rejicienda asa foetida nimis mollis, granorum amygdaloideorum expers, quisquiliis multifariis contaminata.

Servetur vesicis et vasis e laminis ferreis aut murrhinis occlusa, loco frigido sicco, et propria suppellectili dispensetur.

Asphaltum seu Bitumen judaicum. *Asphalt oder Judenpech.*

Bitumen solidum tum mari mortuo et aliis quibusdam Asiae et Europae lacubus innatans,

tum in fodinis Galliae aliarumque Europae provinciarum occurrens.

Frusta solida ex fusco nigra, tritura fusca, friabilia, recenti fractura splendentia, admota flamma post liquationem odore bituminoso deflagrantia. Cave ne pice solida adulteratum sit, quod solutione in alcohole cognoscitur.

††† **Auripigmentum s. Arsenicum flavum.** *Arsenicum sulphuratum flavum. (Sulphuretum Arsenici flavum.) Operment. Gelber Arsenik.*

Praeparatum officinarum metallariarum ex arsenico albo et sulphure.

Frusta difformia, coloris citrini, vel aurantiaci, subsplendentia, vel compacta, vel texturae lamellosae, calore tubuli ferruminatorii cum flamma coerulea deflagrantia, et odorem allii et acidi sulphurosi spargentia. Servetur uti Arsenicum album.

Aurum foliatum. *Blattgold.*

Praeparatum officinarum technicarum.

Sit plane liberum a cupro, quod dignoscitur colore coeruleo, quem liquidum supernatans monstrat, post praecipitationem auri ex solutione in aqua regia ope liquoris ammonii caustici.

□ **Baccae Juniperi.** *Wachholderbeeren.*

Juniperus communis Linn. Arbor aut frutex Europae borealis. *

Baccae Lauri. *Lorbeeren.*

Laurus nobilis Linn. Arbor Europae meridionalis.

Baccae seu Fructus Ribium nigrorum. *Schwarze Johannisbeeren.*

Ribes nigrum Linn. Frutex Germaniae in hortis cultus. *

□ **Baccae seu Fructus Ribium rubrorum.** *Rothe Johannisbeeren.*

Ribes rubrum Linn. Frutex Germaniae in hortis cultus. *

Baccae recentes.

□ **Baccae Rubi fruticosi s. Mororum sylvestrium.** *Brombeeren. Wilde Maulbeeren.*

Rubus fruticosus Linn. Frutex in sylvis Germaniae frequens. *

Baccae recentes.

□ **Baccae Rubi idaei.** *Himbeeren.*

Rubus idaeus Linn. Frutex Germaniae in hortis cultus. *

Baccae recentes.

□ **Baccae Sambuci.** *Fliederbeeren. Hollunderbeeren.*

Sambucus nigra Linn. Arbuscula per totam Germaniam frequentissima. *

Baccae recentes.

□ **Balsamum Copaivae.** *Copaivabalsam.*

Succus e vulnerato trunco Copaiferae officinalis Linn. aliarumque hujus generis specierum in America meridionali praesertim Brasilia stillans.

Balsamum naturale, pellucidum, pallide flavum, oleo amygdalarum paullo spissius, odoris proprii fragrantis, aromatici, saporis amaricantis, subacris, recentissimum ponderis specifici 0,950, lapsu temporis et influxu aëris spissiorem consistentiam et colorem obscuriorem acquirens. Sit genuinum, nec terebinthina, nec oleo unguinoso uti amygdalarum aut ricini adulteratum. Prior balsamo ferro candenti instillato odore proprio sese prodit; oleum unguinosum, si oleum ricini excipias, balsamo in spiritus vini alcoholisati octo partibus soluto, inso-

lutum in fundo remanet. Balsamum purum coctum in aqua per horas quinque usque sex continuata resinam in frigore fragilem consistentiae et aspectus terebinthinae coctae exhibet, cum oleo unguinoso, etiam si oleum ricini fuerit, adulteratum coquendo residuum viscidum unctuosum relinquit. Rejiciantur varietates coloris fusci. Serva in vitro obturato.

□ Balsamum peruvianum s. indicum nigrum. *Schwarzer peruanischer Balsam.*

Succus uti videtur destillatione per descensum eadem ratione ut pix liquida e cortice et ligno Myroxyli peruiferi Linn. filii arboris Americae meridionalis praesertim in regno Novo-Granadensi frequentis eliquatus.

Liquor spissiusculus, fere opacus, in guttis pellucidus e fusco rubens, odoris suavis siliquae vanillae affinis, saporis primum mitis, dein fervidi, praecipue fauces urentis, subamari, ponderis specifici 1,140 — 1,150. In alcoholis partibus quinque fere ex toto solubilis, solutione primum turbida, tum calore adhibito limpida, sedimento parco flocculoso brunneo; in oleis aethereis penitus solvitur, cum oleis unguinosis se non conjungit. A 1000 partibus in alcohole solutis 75 partes natri carbonici crystallisati neutralisentur. Adulteratio cum balsamo copaivae odore, si acidum benzoicum antea ammonio neutralisatum fuerit, et minori capa-

citate saturandi uti quoque minori pondere specifico dignoscitur.

Balsamum tolutanum seu de Tolu. *Tolubalsam.*

Succus resinosus aëre induratus Myroxyli toluiferi Richard. Arbor Americae meridionalis in regni Novae-Granadae provincia Carthagena prope Tolu crescens.

Resina sicca in pericarpiis cucurbitae minoribus advecta, digitis tractata mollescens, coloris e fusco rutili, pulverata flavide-alba, odoris suavis balsamico-benzoini, subcitrini, saporis aromatici similis, in spiritu vini rectificatissimo penitus solubilis.

Baryta sulphurica nativa. *(Sulphas baryticus nativus.) Spathum ponderosum. Schwerspath.*

Minerale in metallifodinis Hercyniae, Saxoniae aliisque obvium.

Lapis in frustis albis, lamellosis, ponderosis, ponderis specifici 4,47, in aqua plane insolubilis. Eligantur frusta heterogeneis corporibus minus inquinata.

□ **Benzoë seu Asa dulcis.** *Benzoëharz.*

Succus resinosus aëre induratus Styracis

Benzoë Dryandri arboris Indiae orientalis praesertim in Sumatra frequentis.

Resina e luteo fusca, plus minusve rotundis frustulis albis variegata, friabilis, nitens, odoris suavis proprii, saporis balsamico-acris, dulciusculi, in alcoholis tribus partibus fere ex toto, in aethere sulphurico pro maxima parte solubilis. Liquata vaporem emittit suaveolentem, nares pungentem, et tussim moventem.

□ Bismuthum vulgo Marcasita. *Wismuth.*

E mineris eliquatione in officinis metallariis paratur.

Metallum fragilissimum, ex subrubicundo argenteum, splendens, aëris attactu varians, fracturae lamellosae, ponderis specifici 9,67—9,82, leni igne (198 ° R.) liquescens, fortiori tactu aëris fumum flavescentem eructans, qui forma pulveris flavi deponitur. Acido nitrico solutum per aquam sub forma pulveris albi praecipitatur.

□ Boletus igniarius s. Fungus quernus. *Feuerschwamm.*

Praeparatum e Boleto igniario Linn. per totam Europam frequentissimo in quercubus, betulis et aliis arboribus. *

Fungi pars interior, coctione cum aqua et cineribus, lotione et contusione mollita.

Boletus Laricis seu Agaricus. *Lerchenschwamm.*

Boletus Laricis Jacquin, in truncis senescentibus Pini Laricis Europae australioris obvius.

Fungus suberosus, tubulis subtilissimis instructus, siccatus extus cinereus, intus albus, levis, subfragilis, saporis subdulcis, amaricantis, acris.

Bolus armena. *Armenischer Bolus.*

Minerale non solum in Armenia, sed etiam in Germania, Gallia etc. obvium.

Argilla ex luteo rubra, ferro oxydato turgida, tactu pinguis et laevis, linguae adhaerens, trita splendens, mollis, depingens, aqua superfusa in frusta et pulverem dissiliens.

□ **Borax. Natrum boracicum.** *(Boras natricus cum aqua.) Borax.*

Praeparatum officinarum chemicarum e Borace crudo, Tincal dicto, sale fossili in Asia media reperiundo.

Sal in frustis crystallinis, albis, duris, in aëre paullulum fatiscentibus, sapore subdulci lixivioso, in aquae duodecim partibus solubilis, leniore igne tumescens, fortiore liquescens. Cum acidis non ef-

fervescat, et solutus ab affuso liquore kali carbonici nullum praecipitatum demittat.

☐ Cacao. *Semina. Kakaobohnen.*

Theobroma Cacao Linn., arbor in Americae regionibus calidioribus culta.

Caracasana seu de *Caragua* e regno mexicano maxima, magnitudinis majoris amygdalae, ovato-oblonga, testa papyracea, subdura, striato-rugosa, cinereo-rufa, fragili, nucleo extus castaneo, rugoso-rimoso, in frustula irregularia, membrana tenui interstincta, fractu dissiliente, intus coloris laetioris similis, saporis proprii, grati, amariusculi, pinguis, non mucidi. *Berbicensis* eadem forma, minor, sed plus convexa, testa superficie incano-pulverulenta, nucleo peroleoso. *Rubra* seu *Maranhanoensis* et *Martinicensis* percompressa, testa rufa, striata, nucleo fusco, amariusculo, subadstringente, minus oleoso.

Rejiciatur quae mucorem olet.

☐ Calcaria usta s. Calx usta. *(Oxydum calcicum.) Gebrannter Kalk.*

Praeparatum in fornacibus calcareis e lapide calcareo ustione.

Lapis friabilis, albidus, cum aqua incalescens et in ejusdem partibus 778 temperaturae mediae solubilis.

In vasis optime clausis servetur.

□ Camphora. *Kampher.*

Praeparatum in Japonia sublimatione e ramis foliisque Lauri Camphorae Linn. arboris ibidem indigenae. An quoque Dryobalanops Camphora Colebrooke arbor in Sumatra et Borneo indigena camphoram ad nos advectam largiatur, nondum constat. In Europa iterata sublimatione depuratur.

Substantia peculiaris, combustibilis, volatilis, quasi oleum aethereum concretum, in placentis orbiculatis, supra convexis, infra concavis, alba nitida, glaciei instar pellucida, ponderis specifici 0,985, pinguiuscula, odoris proprii fragrantissimi, saporis acris, aromatici, in aëre penitus avolans, calore 140 ^{0} liquata olei instar fluens, accensa absque residuo deflagrans, in aqua parum, sed in spiritu vini nec non in aetheribus et in oleis tam unguinosis quam aethereis ex toto solubilis.

Canella alba. *Cortex Winteranus spurius. Costus dulcis mercatorum. Weisser Zimmt.*

Canella alba Murray. Frutex Jamaicensis.

Cortex internus, durus, magis minusve convolutus, 4 ad 5 pollices longus, $\frac{3}{4}$ pollicis et ultra latus, ad lineam crassus, extus ex griseo lutescens, striis saepe transversis rubescentibus, superficie interna alba, fractura aequabili, odoris parum fra-

grantis, saporis aromatici acris. Serva vasis probe clausis.

□ ††† Cantharides. *Spanische Fliegen.*

Meloë vesicatorius Linn. seu Lytta vesicatoria Fabricii. Insectum in Europa media et australi reperiundum.

Insecta coleoptera, 6—8 lineas longa, colore ex viridi aureo, splendentia, antennis nigris, odoris gravis viroso-taediosi, principio caustico erodente praedita. Serventur in vitris bene clausis.

□ Capita Papaveris. *Mohnköpfe.*

Papaver somniferum Linn. Planta in agris et hortis culta. *

Capsulae maturae siccatae. Renoventur quovis anno.

□ Carbo animalis. *(Ebur ustum nigrum.) Thierische Kohle. (Schwarzgebranntes Elfenbein.)*

Paratur ustione vel ignitione ossium, unguium, immo et placentae sanguinis aëris liberi accessu intercepto.

□ Carbo vegetabilis. *Holzkohle. Pflanzenkohle.*

Ustione vel ignitione diversorum lignorum,

aëris liberi accessu intercepto, methodo nota paratur.

Eligantur carbones ineunte aestate usti, in frustis magnis, facile fragilibus, solidis, levibus, quodammodo sonoris, figuram ligni retinentibus, nitidis et passim maculis infuscatis notatis, parum denigrantibus, qui, si igniuntur, nullum spargunt foetorem, nec flammam largiuntur albam, nec dissiliunt nec crepitant. Praeferendi carbones faguum, betularum, carpinorum, alnorum.

□ **Cardamomum minus.** ***Kleine Kardamomen.***

Alpinia Cardamomum ***Roxburgh****, sive Elettaria Cardamomum White. Planta perennis Indiae orientalis.*

Semina parva, subnigra, subtriangularia, rugosa, odore fragrante camphoraceo, sapore pari intense aromatico, inclusa in capsula membranacea, triquetra, utrinque acuminata, dimidium pollicem longa, triloculari.

□ **Caricae seu Ficus passae.** ***Feigen.***

Ficus Carica. Arbor Europae meridionalis et Orientis.

Receptacula pyriformia, seu turbinata, exsiccata, mollia, intus excavata, pulpam tenacem mucilagineodulcem et multa semina parva foventia.

Rejiciendae sunt durae, insectis erosae.

□ Caryophylli aromatici. *Gewürznelken.*

Caryophyllus aromaticus Linn. seu Eugenia caryophyllata Thunbergi. Arbor Indiae orientalis, in insulis Moluccis frequens.

Fructus immaturi, germina, cum rudimento florum, claviculis similes, compresso-teretiusculi, obtusi, dentibus quatuor triquetris, fusci, oleosi, fragrantissimi, saporis aromatici calidi, acris, amaricantis. Videas ne caryophyllis destillatione ab oleo aethereo liberatis adulterati sint, nec cayennensibus gracilibus, acutioribus, coloris fusci nigrescentis, minus aromaticis.

□ Cassia cinnamomea. *Zimmtcassie.*

Laurus Cassia Linn. Arbor Indiae orientalis.

Cortex internus ramorum, odore et sapore aromatico ad cinnamomum acutum quidem proxime accedens, sed colore magis saturato, crassitie paullo majori, et sapore acriore distinguendus.

□ Castoreum canadense seu anglicum. *Canadisches oder englisches Bibergeil.*

Castor Fiber Linn. Quadrupes in America septentrionali nec non in Europa et Asia septentrionali praesertim ad ripas fluviorum habitans.

Substantia animalis peculiaris, recens molliuscula, flava vel aurantiaca, exsiccata compacta, friabilis, aspectu resinae similis, e rufo fusca, odoris proprii subnauseosi, saporis amaricantis, subacris, in folliculis oblongis pyriformibus minoribus ac qui ex Sibiria adferuntur, siccatis, in medio non cavis, membranulis frequentioribus quam in folliculis castorei moscovitici inter substantiam supra descriptam intertextis, inclusa.

Cave a folliculis factitiis e massa resinosa membranis convoluta confectis. Dignoscuntur quod massa non in cellulis membranaceis cum involucro externo coalitis inclusa sit, neque post iteratam extractionem cum spiritu vini calcariam carbonicam relinquat, in acido muriatico cum effervescentia solubilem.

□ Castoreum moscoviticum s. sibiricum.
Russisches Bibergeil.

Castor Fiber Linn.

Substantia valde similis illi castorei anglici sed siccata magis fusca, non ut illa aspectus resinosi, sed magis terrei, odoris intensioris potius grati quam nauseosi. Folliculi, in quibus substantia haec inclusa est, distinguuntur a folliculis castorei anglici, quod sint majores, magnitudinem ovi gallinacei aequantes et non raro excedentes, quod in medio, si massa satis siccata est, cavum exhibeant, ab exsiccatione ortum, dissepimentis quoque membranaceis interio-

ribus flexuosis, paullo crassioribus, minus numerosis.

Non solum Sibiria sed quoque Polonia, Borussia, quin immo Germania castoreum moscoviticum suppeditant.

□ Catechu vel Terra japonica. *Catechu.*

Extractum aquosum siccum ex India orientali advectum, cujus origo non certe constat.

Frusta compacta vel plana (Catechu bengalense), vel globoso-angulata (Catechu bombayense), priora obscure fusca, stratis pallidioribus intermixtis, fracturae magis terreae, posteriora uniformiter castaneo-fusca, fractura magis plana et subnitente, utraque inodora, saporis adstringentis postea dulcis, in spiritu vini rectificato et in aqua aeque solubilia, solutione spirituosa obscure rubra, cum aqua diluta e luteo rubra, additis nonnullis guttis liquoris ferri oxydati muriatici seu acetici colorem intense viridem persistentem induente, qua persistentia coloris viridis Catechu a Kino distinguendum; cum solutione ichthyocollae copiosum sedimentum flocculentum demittente. Rejiciantur frusta cubica, ex argilla compacta, decocto quodam adstringente imbuta.

□ Cera alba. *Weisses Wachs.*

Paratur e cera flava per insolationem sub frequenti aquae adspersione.

Rejiciatur sebo adulterata, odore sese prodens.

□ Cera flava seu citrina. *Gelbes Wachs.*

Eliquatur e favis Apis melliferae Linn.

Cerasa acida. *Saure Kirschen.*

Prunus Cerasus Linn. Varietas. Arbor in pomariis frequens. *

Fructus recentes.

□ Cerussa. *Plumbum subcarbonicum. (Subcarbonas plumbicus.) Bleiweiss.*

Paratur in officinis chemicis e plumbo vaporibus aceti corroso, vel e plumbo acetico basico ope acidi carbonici.

Nivea, valde ponderosa, ponderis specifici 6 ad 6,4, venalis vel in conis obtusis (veneta, hollandica), fracturae minutim granulosae, porosae, impolitae, vel in laminis sonoris, texturae compactioris, fracturae lamellosae (anglica) obvia, facile pulverisanda. Carbonibus imposita igne tubi ferruminatorii tota in plumbum sine scoria terrea reducatur, in acido nitrico facile cum effervescentia penitus solvatur, quae solutio, si creta vel gypsum admixtum fuerit, post praecipitationem plumbi ope liquoris ammonii caustici affuso liquore kali oxalici turbatur. Baryta sulphurica, qua interdum cerussa adulterata est, insoluta remanet.

□ Cetaceum vulgo Sperma Ceti. *Wallrath.*

E Physeterum praesertim macrocephali cavitatibus cranio superne impositis eliquando et depurando obtinetur.

Materia sebaceo-cerea, duriuscula, candida, subpellucida nitens cum nitore matris perlarum, lamellosa, tactu lubrica, saporis blandi, ponderis specifici 0,943, ebullitione in spiritu vini rectificatissimo et in aethere sulphurico plane solubilis, solutione refrigerando in crystallos lamellosas coagulante.

Attactu aëris rancidum et flavum fit, hinc in vitro clauso servandum.

□ Cineres clavellati crudi. *Kali carbonicum crudum. (Carbonas kalicus crudus.) Rohe Pottasche.*

Paratur e cineribus lignorum per elixivationem, inspissationem liquoris salini, et residui ustionem.

Sal compactus, in aëre deliquescens, albidus, saporis lixiviosi, cum acidis effervescens.

Cinnabaris. *Hydrargyrum bisulphuratum. (Bisulphuretum Hydrargyri.) Zinnober.*

Praeparatum officinarum chemicarum ex hydrargyro et sulphure ope sublimationis.

Frusta compacta, radiosa, fragilia, coloris e nigro obscure rubri, tritura laete rubri, nitoris submetallici, ponderis specifici 10,000, in igne plane volatilia. Sumatur cinnabaris compacta, minime pulverata.

□ Cinnamomum acutum. *Zimmt.*

Laurus Cinnamomum Linn. Arbor Indiae orientalis.

Cortex internus vel liber, in tubis cylindricis, ultra pedem usque pedes duos longis, pollicis duas tertias partes crassis. Sit vix quarta lineae parte crassior, externe e flavo et rubicundo vix in fuscum vergat, percursus hinc inde venulis brevibus rubiginosis, laevis, odoris fragrantissimi, saporis dulcis aromatici.

Coccionella. *Cochenille.*

Femina siccata Cocci Cacti Linn. insecti hemipteri in regno mexicano Cactum coccinelliferum inhabitantis.

Granula parva, transversim rugosa, extus e rubro nigricantia, pruina alba adspersa, tritura purpurea, principium tingens rubrum continentia.

Colla Piscium vid. Ichthyocolla.

□ Colocynthis. *Poma.* *Koloquinten.*

Cucumis Colocynthis Linn. Planta annua orientalis.

Fructus a cortice exteriore mundatus, pomi magnitudinis et figurae, semina albicantia in pulpa alba, levi, spongiosa, amarissima includens.

□ Colophonium. *Geigenharz.*

Praeparatum e resina Pini sylvestris Linn. arboris Europae borealis.

Resina compacta, friabilis, subdiaphana, splendens, coloris succineo-aurantiaci, vel et obscurioris magis fusci.

□ Conchae. *Austerschalen.*

Ostrea edulis Linn. Maris Germaniae molluscum.

Sint ab omni sorde depurgatae.

Cornu Cervi. *Hirschhorn.*

Cervus Elaphus Linn. In silvis Germaniae frequens.

Materia ossea aut in segmentis, aut in frustulis tenuissimis (Cornu Cervi raspatum) coctione in aqua gelatinam praebens.

Cornu Cervi ustum. *Weissgebranntes Hirschhorn.*

Paratur e cornu cervi aliisque ossibus ustione.

Materia terrea, forma cornu cervi aut ossium, compacta, alba, in acido muriatico tota solubilis, solutione adfuso liquore ammonii caustici praecipitatum copiosum album demittente.

Cortex Angusturae verae. *Aechte oder westindische Angusturarinde.*

Bonplandia trifoliata? Willdenowii seu Angustura Cuspare Roemeri et Schultesii. Arbor in silvis ad flumen Orenoco in America meridionali.

Cortex in segmentis planiusculis aut convexis lineam dimidiam ad unam crassis, duos ad sex pollices longis, lineas sex ad duodecim latis, durus, extus epidermide crassiuscula, subfarinacea, e lutescenti alba, superficie interna e flavo fusca, laevi, fractura aequabili, fusca, compacta, odoris subaromatici, saporis similis, subacris, intense amari.

Infusum calidum et decoctum aquosum coloris obscure lutei refrigeratione clarescant, et affusis guttulis nonnullis liquoris ferri sulphurici praecipitatum e luteo album praebeant.

Cavendum est ne substituatur cortex spurius ex India orientali allatus (*Unächte oder ostindische*

Angusturarinde) summe deleterius, extus cinereus, verrucis albis et maculis rubiginosis notatus, interne subniger, fractura cinereo-alba, saporis intensissime amari, nauseosi, haud aromatici, cujus decoctum liquore ferri sulphurici colore sordide viridi tingitur.

□ Cortex Aurantiorum. *Pomeranzenschalen.*

Citrus Aurantium Linn. Arbor e China oriunda, in variis regionibus calidioris Europae et apud nos in hibernaculis culta.

Cortex fructus maturi, siccatus, externe e fusco aurantiacus, interne strato spongioso albo obtectus, amaritie non ingrata, odore suavi.

□ Cortex Cascarillae. *Kaskarillrinde.*

Croton Eluteria Swartzii. Frutex Jamaicae aliarumque regionum Americae calidioris.

Cortex ramorum in segmentis convolutis seu canaliculatis duos ad quatuor pollices longis, et dimidium ac ultra latis, dimidiam ad unam lineam crassis, vel nudus, tum ferrugineo-fuscus, vel epidermide alba transversim fissa tectus, substantia corticali ferrugineo-fusca, compacta, ponderosiore, transversim fracta resinosa, aequabili, odoris grati, saporis acris aromatici.

Cortex arborum juniorum tenuior et gracilior, cortici salicis magis similis inde a decem annis

obvius, principio amaro et resinoso usitato antecellit, oleoso vero et extractivo cedit.

Cortex Cassiae cinnamomeae vid. **Cassia cinnamomea.**

□ **Cortex Chinae fuscus seu officinalis.** ***Cortex peruvianus. Braune Chinarinde.***

Cinchonae diversae species Americae meridionalis, praesertim regionis Loxae in provincia Quito.

Cortex optimus in segmentis utrimque convolutis, a pennae anserinae ad digiti minoris crassitiem, pollices quatuor ad decem longis, lineam dimidiam crassis, epidermide e cinereo fusca nigrescente, scabra, rugosa, transversim fissa ac sulcata, fissuris parallelis haud profundis approximatis, tecta, saepe lichenibus vestita, quorum species tres inprimis distinguuntur: prima formam cuticulae albae pulverulentae, secunda lobos foliaceos superne albos inferne nigrescentes, facile detractiles, tertia fibras teretes, flavescenti-albas, longas, ramosas, capillares referens. Sub epidermide stratum externum tenue ferrugineum, sub quo annulus nigricans nitidiusculus, medio strato aequabili fusco-rubro, interno subfibroso paullulum dilutiore. Odor corticis est debilis, subaromaticus, submucidus, proprius, sapor ex amaro austerus. Praefertur cortex de *Guanuco*

seu *Yuanuco* dictus, et cortex de *Loxa* seu de corona (*Kronchina*), fracturam compactam et resinosam versus epidermidem annulo intensius tincto notatam nec fibrosam exhibentes, et coloris laetioris cinnamomei in superficie interna. Deterioris sunt conditionis cortices rimis transversalibus plane carentes, et potius longitudinaliter rugosi, annulo nigricante destituti, superficie externa pallida, crassiores, nec non tenuissimi epidermide non pulverulenta, sed lichenis tertia specie supra descripta abundanter tecta. Viliores species corticis fusci in mercatura obviae sunt cortex sic dictus *Ten* seu de *Jaen*, pallidiore colore praesertim insignis, et *Huamalis*, quae superficie externa ferrugineo-fusca, lichenibus destituta et verrucis praedita facile dignoscitur.

□ Cortex Chinae regius. *Königschinarinde.*

Cinchona angustifolia? Ruiz seu Cinchona lancifolia? Mutis. Arbor in jugis alpinis Americae meridionalis.

Segmenta saepius planiuscula, sed etiam semicanaliculata, dimidium vel ultra pedem longa, dimidium pollicem ad duos et ultra lata, unam ad tres lineas crassa, vel epidermide praedita cinerea, valde rugosa, in longitudinem et transversim fissa, ac sulcata, fissurarum margine prominente, vel epidermide privata, tum coloris cinnamomei rutili,

laevia, compacta, transversim sulcis minus profundis notata, in utraque varietate exteriore corticis strato crassiusculo, extus fusco, intus ferrugineo, interiore crassiore, fibroso, rubro, introrsum flavescente, interna superficie rufescente, lineata. Odor magis aromaticus quam corticis fusci, et sapor intensius amarus minus austerus.

Praefertur cortex chinae regius de *Calisaya* dictus, exteriore corticis strato tectus.

Ne commutetur cum china, quam *flavam* vulgo dicunt seu de *Carthagena*, quae dignoscitur defectu rimarum, corticis strato externo tenuiore, saepe deficiente, strato interiore toto, nec intima tantum parte flavescente.

Cortex Chinae ruber. *Rothe Chinarinde.*

Cinchona angustifolia? Ruiz. Arbor Americae australis.

Cortex praecedenti simillimus nec nisi colore rubro strati interioris diversus. Cave ne a mercatoribus chinam regiam seu flavam artifice rubore tinctam pro china rubra accipias. Tincta colore laetiore, ruboris defectu in fractura, ac indole infusi aquosi variante dignoscitur.

Infusa aquosa diversarum specierum corticis peruviani bonae indolis sunt parum colorata vel coloris vini albi gallici, vel ut e cortice rubro paullum rubescentis, haud fusca, ut infusum *Chinae* sic

dictae *novae*, decocta refrigeratione lactescunt, et infusum coffeae cum multo lacte referunt, infusa saturata liquore tartari stibiati affuso plus minusve turbantur, sicuti quoque addita tinctura gallarum, et liquore ferri oxydati muriatici aut acetici smaragdino colore tinguntur. Rejiciantur omnes cortices pro peruviano venditi, quorum infusa saturata hoc liquore colorem magis glaucum recipiunt, et cum solutione collae piscium copiose praecipitantur.

Cortex Cinnamomi vide Cinnamomum acutum.

Cortex Granatorum s. Malicorium. *Granatäpfelrinde.*

Punica Granatum Linn. Arbor orientalis, nec non Europae meridionalis, praesertim in Hispania frequens.

Cortex fructus e fusco lutescens, coriaceus, durus, inodorus, saporis amaricantis valde adstringentis.

□ Cortex Hippocastani. *Rosskastanienrinde.*

Aesculus Hippocastanum Linn. Arbor Persiae borealis nunc in Germania frequens. *

Cortex ramorum non nimis vetustorum.

□ Cortex Mezerei. *Seidelbastrinde.*

Daphne Mezereum Linn. Frutex in Germania frequens. *

Colligatur vere.

□ Cortex Nucum Juglandum viridis. *Putamina Nucum Juglandum. Grüne Wallnussschalen.*

Juglans regia Linn. Arbor in Persia et India orientali indigena, in Germania praesertim meridionali culta. *

Cortex fructus non nisi viridis sumatur.

Cortex Pruni Padi. *Traubenkirschenrinde.*

Prunus Padus Linn. Arbor silvatica indigena. *

□ Cortex Quercus. *Eichenrinde.*

Quercus Robur et Q. pedunculata Willden. Arbores Germaniae indigenae. *

Cortex ramorum juniorum. Colligatur vere.

□ Cortex Salicis. *Weidenrinde.*

Salix pentandra et fragilis Linn. Arbores in Germania praesertim boreali frequentes. *

Cortex ramorum biennium et triennium.

□ **Cortex Ligni Sassafras.** *Sassafrasholzrinde.*

Laurus Sassafras Linn. Frutex Pensilvaniae, Carolinae, Virginiae et Floridae.

Cortex a ligno separatus, epidermide griseo-ferruginea, rugosa tectus, lamellosus, intus rubigineus, fragilis, odore grato foeniculum aemulante, sapore dulciusculo, aromatico, subacri.

Cortex Simarubae. *Simarubarinde. Ruhrrinde.*

Quassia Simaruba Linn. Simaruba officinalis Decandolle. Arbor americana in Gujana frequentissima.

Cortex radicis in segmentis longis, tenacibus, duas lineas crassis, pollicem ad quatuor latis, epidermide e fusco cinerea, transversim rimulosa, cortice exteriore tenacissimo, interiore crasso, toto fibroso, fibris tenacibus, facile separandis, lutescentibus, inodorus, peramarus.

Cortex Ulmi interior. *Innere Ulmen- oder Rüsterrinde.*

Ulmus campestris Linn. et effusa Willden. Arbores Germaniae. *

Cortex interior e ramis non nimis tenuibus, vere colligendus.

□ **Creta alba.** *Weisse Kreide.*

Minerale montes integros Europae constituens.

Eligatur albissima, rejiciatur lutea et durior.

Crocus. *Safran.*

Crocus sativus Linn. Planta perennis Orientis in Europa meridionali culta.

Stigmata tripartita, membranacea, cuneiformia, apice crenata, versus basin attenuata, pollicaria, e floribus resecta, cito siccata, tum referentia fila coacervata, contorta, snbtenacia, nitentia, coloris saturate aurantiaci, apice ac basi flavescentibus, fricata digitis et masticata salivae colorem aurantiaco-rubicundum communicantia; odoris fortis aromatico-narcotici, proprii, saporis balsamici amaricantis subacris. Cave ab heterogeneis variis ut floribus calendulae et carthami, immo fibris carnis bubulae infumatis immixtis, forma, colore magis uniformi dignoscendis, nec non a croco, cui principium tingens demtum est.

□ **Cubebae.** *Kubeben.*

Piper Cubeba Linn. Frutex Indiae orientalis.

Baccae siccatae, pedunculatae, globosae, rugosae, coloris cinerei, magnitudine et forma piperis com-

munis, uniloculares, semine solitario, odoris fragrantis, saporis acris aromatici.

Cuprum. *Kupfer.*

In officinis metallariis e mineris eliquatum.

Metallum ductile, rufum, ponderis specifici 8,78 — 8,89. Purum in acido sulphurico dimidia aquae parte diluto coctione totum solvitur, solutione instillato liquore ammonii caustici praecipitatum coeruleum exhibente, quod a praeponderante liquore nullo residuo relicto resolvitur.

□ ††† Cuprum sulphuricum venale. *Vitriolum de Cypro seu coeruleum. (Sulphas cupricus cum aqua.) Kupfervitriol. Cyprischer oder blauer Vitriol.*

Paratur in officinis metallariis plerumque e cupro sulphurato.

Sal in crystallis aut frustis crystallinis coeruleis, diaphanis, demum fatiscentibus, in aquae partibus duabus, in alcohole non solubilis. Sit zinco et praesertim ferro sulphurico non nimis inquinatus; posterius solutione in liquore ammonii caustici dignoscitur, qui oxydum ferri fuscum haud solutum relinquit.

□ Elemi. *Elemiharz.*

Succus aëre induratus Amyris elemiferae Linn. arboris Americae meridionalis.

Resina compacta, tenax, manu contrectata mollescens, coloris citrini, punctis vel maculis virescentibus, interdum luteis, tritura alba, odoris graviusculi terebinthinaceo-foeniculosi, saporis similis, in spiritu vini rectificatissimo fere ad duas tertias partes solubilis, et inde a resina pini maritimae in spiritu vini rectificatissimo frigido tota solubili distinguenda.

□ ††† **Euphorbium.** *Euphorbium.*

Succus lacteus aëre induratus Euphorbiae officinalis Linn. et nonnullarum aliarum Euphorbiae specierum, fruticum Africae meridionalis.

Substantia gummi-resinae affinis, in frustulis difformibus, sordide flavescentibus, aut fuscescentibus, opacis, friabilibus, spinarum rudimentis adhaerentibus aut horum loco foraminibus praeditis, saporis acerrime urentis, nauseosi, prunis injecta odorem haud ingratum spargens. Caute servanda.

□ **Fel Tauri.** *Ochsengalle.*

Bos Taurus domesticus.

Sit recens.

□ **Flavedo Corticum Aurantiorum.** *Das Gelbe der Pomeranzenschalen.*

Citrus Aurantium Linn.

Cortex fructuum maturorum siccatus, a parte interna spongiosa alba quantum fieri potest liberatus.

Flavedo Corticum Citri. *Das Gelbe der Citronenschalen.*

Citrus medica Linn. Arbor orientalis apud nos in hibernaculis culta.

Cortex fructuum recentium a parte interna spongiosa alba mundatus.

□ **Ferrum.** *Eisen.*

E mineris propriis in fornacibus metallariis paratur.

Limatura a variis opificibus allata non emenda, sed e ferro malleato (*Stabeisen*) bonae notae praeparanda, ac vasis bene clausis servanda.

□ **Flores Arnicae.** *Wohlverleihblumen.*

Arnica montana Linn. Planta perennis Germaniae. *

Ne confundantur cum floribus inulae britannicae, quorum ligulae angustiores.

Flores Aurantiorum seu Naphae. *Pomeranzenblüthen.*

Citrus Aurantium Linn.

Flores Calendulae. *Ringelblumen.*

Calendula officinalis Linn. Planta annua Europae australis, apud nos in hortis culta. *

Flores Cassiae. *Zimmtblüthen.*

Laurus Cassia (?) Linn.

Semina immatura, rotunda, fusca, pedunculo concolori, oblongo, gracili, sensim crassiori insidentia, odoris et saporis cinnamomi sed debilioris.

Flores Chamomillae romanae. *Römische Kamillen.*

Anthemis nobilis Linn. Planta perennis Europae meridionalis.

□ **Flores Chamomillae vulgaris.** *Gemeine Kamillen.*

Matricaria Chamomilla Linn. Planta annua in Germania frequens. *

Flores Convallariae majalis seu Liliorum convallium. *Maiblumen.*

Convallaria majalis Linn. Planta perennis silvatica Germaniae. *

Flores Farfarae. *Huflattigblumen.*

Tussilago Farfara Linn. Planta perennis Germaniae. *

□ Flores Lavandulae. *Lavendelblumen. Spieke.*

Lavandula Spica Linn. Fruticulus Europae meridionalis, apud nos in hortis cultus.

Flores Malvae arboreae. *Pappelrosen. Stockrosen.*

Althaea rosea Cavanilles. Planta biennis orientalis, in hortis Germaniae frequentissima.

□ Flores Malvae vulgaris. *Gemeine Pappelblumen.*

Malva rotundifolia et Malva silvestris Linn. Plantae perennes in ruderatis frequentissimae. *

□ Flores Meliloti citrini. *Melilotenblumen. Steinklee.*

Melilotus officinalis Linn. Planta biennis per totam Germaniam frequens. *

Rami florentes.

□ **Flores Millefolii.** *Schafgarbenblumen.*

Achillea Millefolium Linn. Planta perennis frequentissima. *

□ **Flores Rhoeados.** *Klatschrosen. Feldmohn.*

Papaver Rhoeas Linn. Planta annua inter segetes frequentissima. *

□ **Flores Rosarum incarnatarum.** *Rothe Rosen.*

Rosa Centifolium Linn. Frutex in hortis frequens.

□ **Flores Rosarum rubrarum.** *Essigrosen. Damascener Rosen.*

Rosa gallica Linn. Frutex Galliae meridionalis, apud nos hortensis.

□ **Flores Sambuci.** *Fliederblumen. Hollunderblumen.*

Sambucus nigra Linn. Arbor per totam Germaniam frequentissima. *

Flores Sulphuris vide **Sulphur depuratum.**

□ **Flores Tanaceti.** *Rainfarrnblumen.*

Tanacetum vulgare Linn. Planta perennis ad vias et inter segetes frequens. *

□ **Flores Tiliae.** *Lindenblüthen.*

Tilia europaea Linn. Arbor ubique frequens. *

□ **Flores Verbasci.** *Wollkrautblumen.*

Verbascum Thapsus Linn. Planta biennis in locis incultis frequens.

□ **Flores Violarum.** *Blaue Veilchen.*

Viola odorata Linn. Planta perennis silvatica. *

□ **Folia Aurantiorum.** *Pomeranzenblätter.*

Citrus Aurantium Linn.

Folia Bucco seu Buchu. *Buchu- oder Buccoblätter.*

Diosma crenata Linn. Frutex capensis.

Folia ovato-lanceolata, interdum obovata, unum vel sesqui pollicem longa, duas ad tres lineas lata, crenata, supra e luteo viridia, infra pallidiora, punctis glandulosis notata, interdum fuscescenti-vi-

ridia, petiolis quadrangulis intermixta, laevia, subnitentia, odoris aromatici, subcamphoracei, gravis, saporis aromatici menthae piperitae similis.

□ Folia Ilicis aquifolii. *Stechpalmenblätter.*

Ilex aquifolium Linn. Frutex silvaticus Germaniae. *

□ Folia Lauri. *Lorbeerblätter.*

Laurus nobilis Linn.

□ Folia Laurocerasi. *Kirschlorbeerblätter.*

Prunus Laurocerasus Linn. Arbor sempervirens Orientis, in hortis culta.

Folia Rhododendri chrysanthi. *Sibirische Schneerose.*

Rhododendrum chrysanthum Pallas. Frutex Sibiriae orientalis.

Folia oblonga, acuta, in petiolum decurrentia, pollicem ad duos longa, pollicem dimidium ad unum lata, supra reticulato-rugosa, coriacea, rigida, margine revoluto, siccata e fusco viridia, subtus discoloria dilute fulva, glabriuscula, nervo intermedio prominente, odoris debilis, subrhabarbarini, saporis austeri amaricantis.

Cave ne *Rhododendri ferruginei* folia minora, lanceolata, glabra, obscurius tincta, margine parum reflexa, subtus lepra ferruginea tecta, aut folia *Rhododendri hirsuti* obovata, acutiuscula, ciliata, subtus punctata substituantur.

□ Folia Sennae Alexandrinae. *Sennesblätter.*

Cassia lanceolata Forskael et Nectoux., planta Nubiae, et Cassia obtusata Hayne (Cassia Senna Jacquin.), planta Aegypti superioris.

Folia Cassiae lanceolatae praebent *Folia Sennae verae* seu *Alexandrinae.* Sunt pallide luteo-viridia, pollicem circiter longa, lanceolato-ovalia, obtusa, mucronulata, basi inaequilatera, subtus costa prominula et nervis oculo armato minutim pubescentia, tactu molliuscula, odoris peculiaris dulciusculi, saporis mucilagineo-amaricantis, subacris et nauseosi.

Folia *Sennae Tripolitanae* verisimiliter a *Cassia obtusata* Hayne parum ab antecedentibus differunt, minora tamen et obtusiora.

Utrisque folia *Cynanchi Argel* Delilii immixta haud raro reperiuntur, ex albido viridia, longiora, vere lanceolata, utrimque pariter in acutum angustata, rigida, costa intermedia prominula, nervis

lateralibus carente, superficie tactu aspera, saporis acris, amaro-dulcis, nauseosi.

Folia Sennae nobis allata miscelam dictorum foliorum referunt, quae, si talis constituta est, ut maximam copiam foliorum Cassiae lanceolatae, minorem Cassiae obtusatae et minimam foliorum Cynanchi Argel contineat, a stipitibus et pulvere liberata in usum trahi potest.

Cave ne pro illis accipias foliola *Cassiae lanceolatae* in Italia cultae, Folia Sennae *Itala*, latiora, tenuiora, magis mucilaginosa, vix amaricantia, vel folia Sennae *Aleppensia* a *Cassia obovata* Colladon, etiam in Italia culta, glauca, subcuneato-obovalia, obtusissima, mucronata, subtus venoso-nervosa, leguminibus, *folliculi Sennae* dictis, lunatis, incurvis mixta, cum folliculi Cassiae lanceolatae magis rectiusculi sint, vel denique folia *Sennae indicae* a *Senna elongata?* majora, unum et dimidium pollicem et ultra longa, tres ad quatuor lineas lata, acuminata, tenuia, supra laete luteo-viridia, infra pallidiora, basi inaequilatera, petiolo quasi glandulis obsito, odoris et saporis debilioris.

Adulterantur quoque folia Sennae cum foliolis *Coluteae cruentae*, fere orbiculatis, tenerrimis, apice truncatis, et foliolis *Coriariae myrtifoliae*, crassioribus, magis coriaceis, trinerviis, nervo medio in mucronem desinente, glaucis, inodoris, saporis acris adstringentis.

Folia Toxicodendri. *Giftsumachblätter.*

Rhus radicans Linn. Frutex Americae borealis, apud nos in hortis cultus.

Caute nec manibus nudis colligenda mense Junio et Julio, et caute servanda.

□ Folia Uvae Ursi. *Bärentraubenblätter.*

Arbutus Uva Ursi Linn. Fruticulus Germamaniae sempervirens. *

Formicae. *Ameisen.*

Formica rufa Linn. Insectum hymenopterum in Europa frequens.

Non nisi viventes, et ab quisquiliis mundatae adhibeantur.

□ Fructus Capsici annui s. Piperis hispanici. *Spanischer Pfeffer.*

Capsicum annuum Linn. Planta annua Americae australis, apud nos in hortis culta.

□ Fructus Citri recentes. *Citronen.*

Citrus medica Linn.

Fructus Prunorum. *Pflaumen.*

Prunus domestica Linn. Arbor Europae australis, in Germaniae pomariis frequens. *

Fructus Ribium rubrorum. *Johannisbeeren.* vid. Baccae.

Fructus Rubi idaei. *Himbeeren.* vid. Baccae.

□ **Fructus Tamarindorum s. Tamarindi.** *Tamarinden.*

Tamarindus indica. Arbor Arabiae et Indiae orientalis.

Pulpa leguminum, e nigro fusca, seminibus interjacentibus, filamentis lignosis pertexta, saporis acidi grati. Rejiciatur americana, sapore acerbo et colore fusco distinguenda, nec non subdulcis, mucida, fermentatione corrupta, et seminibus emollitis referta, nimis fluida siccave. Cave ne sit cupro inquinata, cujus praesentia cognoscitur pellicula cuprea, qua lamina ferri solutioni aquosae tamarindorum immissa obtegitur.

□ **Galbanum seu Gummi Galbanum.** *Mutterharz.*

Succus aëre induratus plantae ignotae orientalis.

Gummi-resina obvia in placentis e grumis plerumque conglutinatis, rarius in granis separatis, albo-lutescens, maculis albis, in frustis minoribus

subpellucida, parum splendens, frigore fragilis, manus calore emollienda, odoris gravis, suballiacei, saporis amaro-acris. Aqua tertiam circiter partem solvit, solutione lactescente, spiritus vini majorem copiam, solutione rubescenti-flava. Destillatione sine aqua oleum coeruleum praebet. Rejiciatur variis quisquiliis, arena etc. inquinata.

□ Gallae turcicae. *Galläpfel.*

Turiones foliorum Quercus infectoriae Olivieri arbusculae orientalis, Cynipis Gallae tinctoriae Oliv. punctura producti.

Globuli verrucoso-echinati, subpedunculati, duri, e flavescente cinerei, vel e nigro coerulescentes, saporis valde austeri. Praeferantur ponderosiores, e nigro coerulescentes, ex Aleppo et Smyrna allatae, foramine haud pertusae.

Gemmae Populi. *Pappelknospen.*

Populus nigra Linn. Arbor in collibus maritimis et passim ad vias crescens. *

Gemmae, quae etiam Oculi dicuntur, juniores, nondum explicatae, succo balsamico glutinoso turgentes, mense Aprili colligendae.

□ Glandes Quercus. *Eicheln.*

Quercus Robur et Q. pedunculata Willden.

Fructus maturi absque capsulis. *

Graphites s. Plumbago. *Graphit. Reissblei.*

Minerale ex ordine Inflammabilium, praesertim in Angliae et Hispaniae fodinis.

Massa compacta, friabilis, obscure ferreo-nigra, aut grisescens, nitore semi-metallico, ponderis specifici a 1,987 usque 2,267, valde depingens. Saepissime mineris ferri, cupri, titanii aliisque heterogeneis mixta occurrit. Praestat graphites anglicanus. Cave a factitio stibium et sulphur continente, ope tubi ferruminatorii facile dignoscendo.

□ **Gummi arabicum.** *Gummi Mimosae. Arabisches Gummi. Mimosengummi.*

Succus aëre condensatus ***Acaciae Ehrenbergii*** *Hayne et Nees,* ***Mimosae tortilis*** *et* ***M. Sayal*** *Forskael aliarumque hujus generis specierum in variis Africae regionibus sponte crescentium.*

Gummi in glebis vel difformibus, vel rotundatis, fere incoloribus, rugosis, siccis, fragilibus, fracturae anguloso-granulosae, splendore vitreo, multifariam reflexo, inodoris, saporis fatui mucilaginosi. Genuinum cum partibus sex aquae solutionem perfecte fluidam praebet.

Gummi sic dictum *Senegal (Senegalgummi)* ab *Acacia Senegal* Willden. arbore magnas silvas Senegambiae constituente format glebas majores, fla-

vescentes, gummi arabico minus diaphanas, duriores, minus fragiles, fractura conchoidea, lucem simpliciter reflectente, splendida.

Pro gummi arabico adhiberi quoque potest, si coloris sit dilutioris, et in aqua penitus ut gummi arabicum solvatur, sed rejiciendum rubicundum, griseo-brunneum, turbidum, minusque in aqua solubile.

Gummi Guttae vid. **Gutti.**

□ **Gummi Tragacanthae.** *Traganthgummi.*

*Succus aëre induratus **Astragali veri** Oliv. et **Astr. gummiferi** Labillardiere plantarum Moreae et Asiae minoris indigenarum.*

Gummi in frustulis variae formae, saepe multifarie contortis, subdiaphanis, cornei aspectus, fractura subnitentibus, albis, tractu temporis flavescentibus, vel cinerascentibus, inodoris, in aqua ad mucilaginem spissam intumescentibus, difficillime et non plane solvendis, materiam albam peculiarem insolutam relinquentibus, quae a iodo coeruleo colore tingitur, saporis fatui.

□ ††† **Gutti s. Gummi Guttae.** *Gummigutt.*

*Succus aëre induratus **Garciniae Cambogiae** Roxburgh, arboris Indiae orientalis, sauciatae.*

Gummi-resina compacta, fragilis, fractura conchoidea subnitente, opaca, e fusco lutea, tritura citrina, madefacta laete flava, inodora, saporis primum subdulcis, dein in acrem et adstringentem metallico similem vergentis, sputumque quam maxime cientis. In aqua tota fere solvitur, solutione turbida, in spiritu vini rectificatissimo ex parte solutione limpida aurantiaca. Rejiciatur G. Guttae aspectus quasi terrei, coloris magis luridi, haud compacta, sed cavernulis pertusa, fractura magis plana, et sine nitore.

Gypsum. *Gyps.*

Minerale in variis regionibus obvium.

Lapis albidus, ponderis specifici 2,2 — 2,4, cultro facile radendus, igne fatiscens, in aqua difficulter solubilis, cum acidis non effervescens.

Eligatur G. lamellare texturae lamellosae, diaphanum, sub nomine Glaciei Mariae cognitum.

Helix Pomatia. *Weinbergsschnecke.*

Testaceum in Germania et Helvetia indigenum, et industria in hortis propagatum.

□ Herba Absynthii. *Wermuth.*

Artemisia Absynthium Linn. Planta perennis frequentissima.

Herba florens. *

□ Herba Aconiti. *Eisenhütlein.*

Aconitum neomontanum Willden. (Stoercke-anum Reichenbach.) Planta perennis in locis montosis Germaniae hinc inde occurrens.

Defectu plantae sponte nascentis herba e planta in hortis culta sumatur. Herba cum floribus colligenda.

Herba Althaeae. *Eibischkraut. Altheekraut.*

Althaea officinalis. Planta perennis Germaniae. *

Colligenda Junio et Julio ante florescentiam.

□ ††† Herba Belladonnae. *Tollkirschenblätter.*

Atropa Belladonna. Planta perennis Europae meridionalis, in hortis medicis culta. *

Colligenda Mense Julio. Caute servanda.

Herba Calendulae. *Ringelblumenkraut.*

Calendula officinalis.

Floribus explicatis mox colligenda.

Herba Capillorum Veneris. *Frauenhaar.*

Asplenium Capillus Veneris Linn. Filix Europae meridionalis.

□ **Herba Cardui benedicti.** *Cardobenedictenkraut.*

Centaurea benedicta Linn. Planta annua ex insulis Archipelagi, in hortis medicis culta.

Colligenda statim post florum eruptionem.

□ **Herba Centaurei minoris.** *Tausendgüldenkraut.*

Erythraea Centaureum Richardii. Planta annua pratensis Germaniae. *

Colligenda cum floribus.

□ **Herba Chelidonii majoris.** *Schöllkraut.*

Chelidonium majus Linn. Planta perennis in ruderatis et umbrosis Germaniae frequens. *

Colligenda Mense Majo.

Herba Chenopodii ambrosiaci s. Botryos mexicanae. *Mexikanisches Traubenkraut.*

Planta annua mexicana, nobis hortensis.

Colligenda mense Julio.

□ **Herba Cochleariae.** *Löffelkraut.*

Cochlearia officinalis Linn. Planta biennis ad littora Europae borealis frequens. *

Non nisi recens adhibenda. Colligenda vere.

□ ††† **Herba Conii maculati s. Cicutae terrestris.** *Erdschierling. Fleckenschierling.*

Conium maculatum Linn. Planta biennis in Germania frequens. *

Colligatur altero anno, cum planta florere incipit, et ultra annum non servetur. Caute serva.

□ ††† **Herba Digitalis purpureae.** *Rother Fingerhut.*

Digitalis purpurea Linn. Planta biennis montana Helvetiae et Germaniae.

Non sumatur planta in hortis culta, sed ex Hercynia arcessatur. Caute in vase vitreo servanda.

Herba Farfarae. *Gemeiner Huflattig.*

Tussilago Farfara Linn. *

Colligenda Majo et Junio.

Herba Fumariae. *Erdrauch.*

Fumaria officinalis Linn. Planta annua inter olera et segetes frequens. *

Colligenda Majo et Junio.

Herba Galeopsidis grandiflorae cum floribus s. G. ochroleucae. *Gelber grossblüthiger Hohlzahn.*

Galeopsis grandiflora Ehrhart et Roth. Planta annua Europae et Germaniae meridionalis. *

□ **Herba Genistae.** *Pfriemenkraut.*

Spartium Scoparia. Fruticulus in locis aridis et elatis Germaniae frequens. *

Colligenda tempore primo florescentiae.

□ **Herba Gratiolae.** *Gnadenkraut.*

Gratiola officinalis Linn. Planta perennis pratensis et riparia Germaniae. *

Colligenda mense Junio et Julio. Caute servanda.

Herba Hederae terrestris. *Gundermann.*

Glecoma hederacea. Planta perennis in Germania frequentissima. *

Colligenda mense Aprili et Majo.

Herba s. Folia Hyoscyami. *Bilsenkraut.*

Hyoscyamus niger Linn. Planta biennis in ruderatis et ad vias frequens. *

Colligenda cum planta florere incipit, et haud ultra annum et caute servanda.

□ Herba Hyssopi. *Isop.*

Hyssopus officinalis. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis.

Colligenda mense Majo.

Herba Lactucae virosae. *Giftlattigkraut.*

Lactuca virosa Linn. Planta biennis in Europae australioris aggeribus et sepibus spontanea, apud nos in hortis culta.

Colligenda altero anno ante florescentiam, nec nisi recens adhibenda.

Herba Ledi palustris. *Wilder Rosmarin. Post.*

Ledum palustre Linn. Fruticulus in cespitosis et uliginosis Germaniae frequens. *

Colligatur mense Majo et Junio.

Herba Linariae. *Leinkraut.*

Linaria vulgaris Linn. Planta perennis in Germania frequens. *

Tempore florescentiae colligenda.

□ Herba Majoranae. *Majoran.*

Origanum Majorana. Planta annua Europae meridionalis, in hortis culta.

Colligenda mense Julio.

□ Herba Malvae. *Pappelnkraut. Käsepappeln.*

Malva rotundifolia Linn. Planta annua in ruderatis Germaniae frequentissima.

Colligenda mense Junio et Julio.

Herba Mari veri. *Amberkraut. Katzenkraut.*

Teucrium Marum Linn. Fruticulus in Oriente sponte crescens, in Europa meridionali cultus.

Herba florens, caule quadrangulari, foliis oppositis oblongis et lanceolatis, breviter petiolatis, integerrimis, margine inflexis, parvis, una cum petiolis et ramulis tomento albo superinductis, floribus racemosis purpureis, odoris fragrantis, subcamphoracei.

□ Herba Marrubii albi. *Weisser Andorn.*

Marrubium vulgare. Planta perennis, in ruderatis Germaniae frequens. *

Colligenda mense Julio et Augusto.

Herba Matricariae. *Mutterkraut.*

Pyrethrum Parthenium Smith. *Planta perennis Germaniae.* *

Colligenda mense Junio et Julio.

Herba Meliloti vid. **Flores.**

Herba Melissae seu Melissae citratae. *Melisse. Citronenmelisse.*

Melissa officinalis Linn. *Planta perennis Europae meridionalis, in hortis culta.*

Colligenda mense Junio.

□ **Herba Menthae crispae.** *Krausemünze.*

Mentha crispata Schrad. *Planta perennis Europae australis orientalis, in hortis culta.*

Colligenda cum florere incipit.

□ **Herba Menthae piperitae.** *Pfeffermünze.*

Mentha piperita Linn. *Planta perennis Angliae, apud nos in hortis culta.*

Colligenda mense Junio.

□ **Herba Millefolii.** *Schafgarbenkraut.*

Achillea Millefolium Linn.

Colligenda mense Junio.

Herba Nicotianae. *Taback.*

Nicotiana Tabacum Linn. Planta annua Americae meridionalis, apud nos culta.

Herba Origani vulgaris. *Gemeiner Dost.*

Origanum vulgare Linn. Planta perennis Germaniae. *

Colligenda mense Junio et Julio.

Herba Polygalae amarae cum radice. *Bittere Kreuzblumen.*

Polygala amara Linn. et Polygala amarella Reichenbach. Plantae perennes montanae Germaniae et Sueciae.

Colligenda herba florens cum radice.

□ **Herba Pulegii.** *Polei.*

Mentha Pulegium Linn. Planta perennis Germaniae. *

Colligenda cum florere incipit.

Herba Pulsatillae. *Schwarze Küchenschelle.*

Anemone pratensis Linn. Planta perennis in Europa boreali et media frequens. *

Colligenda mensibus Aprili et Majo.

□ **Herba Roris marini.** *Rosmarinkraut.*

Rosmarinus officinalis Linn. Frutex Europae meridionalis, in hortis cultus.

□ **Herba Rutae.** *Raute. Gartenraute.*

Ruta graveolens Linn. Planta Europae meridionalis, nobis hortensis.

Colligenda Majo et Junio.

□ ††† **Herba Sabinae.** *Sadebaumkraut.*

Juniperus Sabina Linn. Frutex Europae australis, sempervirens, nobis hortensis.

Colligenda vere et caute servanda.

□ **Herba Salviae.** *Salbei.*

Salvia officinalis Linn. Fruticulus Europae meridionalis, apud nos hortensis.

Colligenda ante florescentiam.

Herba Scandicis odoratae seu Cerefolii hispanici. *Spanischer Körbel.*

Scandix odorata Linn. Planta perennis Europae etiam Germaniae meridionalis, apud nos in hortis culta.

Non nisi recens adhibeatur.

□ **Herba Scordii.** *Lachenknoblauchkraut.*

Teucrium Scordium Linn. Planta perennis Germaniae. *

Colligenda mense Junio.

Herba Sedi acris seu minoris. *Mauerpfefferkraut. Kleiner Hauslauch.*

Sedum acre Linn. Planta perennis Germaniae in apricis frequens. *

Caute et celeriter siccanda, et sub forma pulveris sollicite in vitro clauso servanda.

□ **Herba Serpylli.** *Feldkümmel. Quendel.*

Thymus Serpyllum Linn. Fruticulus europaeus in apricis frequens. *

Colligenda herba florens.

□ ††† **Herba Stramonii.** *Stechapfelkraut.*

Datura Stramonium Linn. Planta annua ex India orientali oriunda, nunc ad sepes, vias, et in ruderatis Germaniae frequens.

Colligenda mense Junio et Julio. Caute servanda, nec ultra annum.

□ **Herba Taraxaci.** *Löwenzahnkraut.*

Leontodon Taraxacum Linn. Planta

perennis in Germaniae pascuis frequentissima. *

Colligenda vere ante florescentiam.

□ Herba Thymi. *Thymiankraut.*

Thymus vulgaris Linn. Fruticulus hortensis, in Europa meridionali etiam Germania sponte crescens. *

Colligenda mense Junio et Julio.

□ Herba Trifolii fibrini. *Fieberkleekraut. Bitterkleekraut.*

Menyanthes trifoliata Linn. Planta perennis palustris Germaniae. *

Colligenda mense Majo et Junio.

□ Herba Verbasci. *Wollkraut.*

Verbascum Thapsus Linn.

Colligenda aestate.

Herba Veronicae. *Ehrenpreiskraut.*

Veronica officinalis Linn. Planta perennis Germaniae. *

Colligenda vere.

□ **Herba Violae tricoloris s. Jaceae.** *Freisamkraut. Stiefmütterchen.*

Viola tricolor Linn. Planta annua in arenosis et hortis Germaniae frequens. *

Colligenda aestate.

Hirudo. *Blutegel.*

Hirudo medicinalis Linn. et Cuvier. Animal ex ordine Annelidarum in Germaniae paludibus frequens.

□ **Hydrargyrum seu Mercurius vivus.** *Quecksilber.*

In officinis metallariis ex mineris propriis destillatione obtinetur, praecipue ex Ydria adfertur.

Metallum temperatura ordinaria liquidum, splendoris intensi metallici, coloris stannei, super charta laevigata currens, et tactu in globulos dissiliens, qui pellicula expertes nihil sordidi relinquunt, cum aqua destillata tritum eam non inquinat, ponderis specifici si purissimum 13,5. Aestu sit volatile nullo residuo relicto. Frigore nec in acido sulphurico, nec muriatico solubile sit, facile vero et penitus in acido nitrico, cum aceto concentrato coctum illi nullam dulcedinem conciliet, quae inquinationem cum plumbo indicat. Si cum hoc vel aliis metallis,

ut stanno, bismutho, inquinatum sit, depuretur encheiresi in Parte II[da] descripta.

□ Ichthyocolla seu Colla piscium. *Hausenblase.*

Ex intestinis, praesertim vesica natatoria Accipenseris Sturionis aut stellati, ac Husonis Linn. maris Caspii incolarum paratur.

Frusta ex membranis contorta, lyriformia, stramineo-albida, corneo-diaphana, sicca, tenacia, levia, membranoso- et celluloso-lamellosa, inodora, saporis gelatinosi, fatui.

In aqua coquendo fere omnis solvatur, floccis tantum nonnullis insolutis relictis, etiam in spiritu vini tenuiori calore solubilis.

□ ††† Iodum s. Iodina. *Iod oder Iodine.*

Praeparatum chemicum e cineribus variarum Fuci specierum, praesertim Fuci saccharini.

Squamulae griseo-nigrae, splendentes, ponderis specifici = 4,948, odore chlori persimili, saporis acris, metallici, igne sub forma fumi violacei plane avolantes, in aquae 6000 partibus, quam simul flavo-fusco colore tingunt, in spiritus vini rectificatissimi partibus decem solubiles.

□ Kali ferreo-borussicum venale. *Kali ferroso - hydrocyanicum. Kali zooticum. (Cyanetum Kalii et Ferri cum aqua venale.) Käufliches blausaures Eisenkali.*

Praeparatur in officinis chemicis ustione corporum animalium cum kali carbonico et ferro.

Crystalli cohaerentes, flavae, octaëdros apicibus valde truncatis referentes, sapore subdulci, in aquae partibus quatuor, in alcohole minime solvendae. Eligantur majores, a kali sulphurico plane liberae, quod sese prodit sedimento albo, quod in solutione salis in viginti partibus aquae affusa solutione barytae nitricae dejicitur.

□ Kali nitricum crudum seu Nitrum crudum. *(Nitras kalicus crudus.) Roher Salpeter.*

In India orientali reperitur nativum, et paratur in officinis nitrariis nostris.

Sal in crystallis parvis, prismaticis, albidis, humescentibus, in aquae quatuor partibus solubilis, prunis injectus detonans. Cf. *Kali nitricum depuratum* in Parte II[da].

□ Kali sulphuricum crudum. Arcanum duplicatum seu Tartarus vitriolatus.

(Sulphas kalicus crudus.) Rohes schwefelsaures Kali.

Praeparatum in officinis chemicis e residuo destillationis acidi nitrici.

Sal in crystallis cohaerentibus, albis, prismaticis, apice acuminatis, in aquae sedecim partibus solvendis, in aëre non humectantibus nec fatiscentibus. Rejiciatur quod metallis, praesertim zinco et cupro, inquinatum est. Illud praecipitatione solutionis salis liquore natri carbonici et solutione praecipitati albi in liquore ammonii caustici, hoc eodem modo et solutione praecipitati in liquore ammonii caustici colorem coeruleum induente dignoscitur.

Kino s. Gummi Gambiense. *Kino.*

Pterocarpus senegalensis Hooker (?) arbor Africae occidentalis.

Kino sincerum Indiae orientalis frustula refert parva, angulata, friabilia, atro-purpurea, tritura rubra, splendentia, margine diaphana, saporis adstringentis dein dulciusculi, in aqua maxima ex parte et in spiritu vini rectificatissimo ad tres quadrantes partes circiter solubilia.

Kino novae Hollandiae ab *Eucalypto resinifera* White refert massas majores, opacas, hinc inde vesiculis pertusas, e rubro vel fusco nigrescentes, fractura splendentes, pulvere pallidiori saepe spar-

sas, in aqua et spiritu vini rectificatissimo pariter ut prius solubiles, saporis minus adstringentis subamari. Eligendum est Kino primum descriptum, ab Extracto *Ratanhae* ex America allato, quocum quoad externum habitum convenit, eo facile distinguendum, quod solutio aquosa sinceri Kino satis diluta, ut fere limpida sit, ab aqua calcariae affusa non mutetur, quae pari solutioni Extracti Ratanhae colorem rubicundum impertit. Prior solutio magis concentrata affuso liquore plumbi acetici praecipitatum pallide e fusco griseum in violaceum vergens, solutio extracti Rat. vero album praebet.

Lacca in Granis. *Körnerlack.*

Succus induratus Aleuritis lacciferae Willd., Ficus religiosae et Ficus indicae Linn. arborum Indiae orientalis punctura Cocci Ficus effusus, ejusdem insecti pigmento imbutus.

Resina in frustulis parvis, e flavo rubentibus, plerumque diaphanis, fractura splendidis, pigmento rubro in aqua solubili mixta.

□ Lacca Musci s. Lacca coerulea. *Blauer Lack. Lackmus.*

Substantia propria tinctoria, e Lichene Roccella Linn., Roccella tinctoria Acharii in-

sularum Canariensium, et e Lichene tartareo Linn., Lecanora tartarea Acharii in rupibus maritimis Sueciae crescente additis alcalinis fermentationi commissis praeparata.

Refert frustula oblongo-quadrata, pulchre cyanea, adspectu terrea, levia, solida quidem sed depingentia. Pigmentum maxima ex parte solvitur in aqua, solutione additis acidis effervescente, tum restituto colore ejus genuino rubro.

□ Lapides Cancrorum. *Krebsaugen.*

Concrementa e ventriculo Cancri Astaci Linn. seu Astaci fluviatilis Fabricii, animalis crustacei in lacubus et segnioribus fluviis ac rivulis totius Europae.

Concrementa calcarea, alba, orbiculata, altera parte convexa, altera cum margine elevato concava, textura lamellosa, in acido nitrico, relicta gelatina, solubilia.

□ Lapis calaminaris. *Galmei.*

Minera Zinci in Gallia, Germania, Polonia reperiunda.

Substantia lapidea, dura, modo reniformis in forma stalactitum et uvarum, modo favosa, et erosa, rarius crystallisata, grisea aut flavescens, fractura terrea, pulverata in acido sulphurico calore

ebullitionis solubilis, terra silicea in forma gelatinae remanente, solutione ad cuticulam evaporata crystallos zinci sulphurici emittente.

Lapis Pumicis. *Bimsstein.*

Lapis e vulcanis originem trahens, levis, griseo-albidus, porosus, saepe fibrosus, facile friabilis.

□ Lichen islandicus. *Isländisches Moos.*

Cetraria islandica Acharii. In montibus Silesiae, Thuringiae, Hercyniae, aliisque locis montosis Europae borealis frequens. *

Lignum Campechianum. *Campecheholz. Blauholz.*

Haematoxylon Campechianum Linn. Arbor Americae meridionalis.

Lignum tinctorium in frustis duris, ponderosis, intus e luteo rubris extus obscure fusco-rubris, saporis subadstringentis subdulcis, inter rodendum odorem violaceum spargens. Rasura in officinis obvia obscure e rubro fusca.

□ Lignum Guajaci. Lignum sanctum. *Guajakholz. Franzosenholz.*

Guajacum officinale. Arbor Indiae occidentalis.

Affertur truncis vel frustis aut secundum longitudinem aut transversim discissis, extrorsum pallide lutescentibus, ligno versus centrum fusco-virente, vel glauco subirrorato, quo ponderosius eo melius, compage densa, integrum vix odorum, raspatum odoris subacris, haud ingrati, sternutationem excitantis, saporis acris amari. Facile flammam concipiat et odore grato balsamico, resinam sudans, deflagret. Rasura, quae vulgo prostat, partibus albidis, e libro ortis, non nimis mixta sit.

□ Lignum Quassiae. *Quassienholz. Bitterholz.*

Quassia amara Linn. Arbor surinamensis et Quassia excelsa Wright. arbor Indiae occidentalis.

Lignum e trunco, ramis, ramulisque petitum in frustis nunc unum nunc plures pollices crassis, rotundis, ulnam et ultra longis, albidum, intus subradiatum, fibrosum, tenax, leviusculum, peramarum. A ligno Rhois metopii fraudulenter substituto, cujus decoctum ex affuso liquore ferri sulphurici oxydati nigrescit, cum illud Quassiae colorem vix mutet, hoc charactere bene dignoscendum. Rasuram non emas.

□ Lignum Juniperi. *Wachholderholz.*

Juniperus communis Linn.

Lignum Santali rubri. *Rothes Sandelholz.*

Pterocarpus santalinus. Arbor Indiae orientalis.

Ligni frusta rubra, extus saepe coloris obscurioris, sapore blando adstringente. Praeferatur ponderosum, flammae expositum resinam exsudans, colore floride rubro, et rejiciatur scobs heterogeneis inquinata.

□ **Lignum Sassafras.** *Sassafrasholz. Fenchelholz.*

Radix magna, ramosa, in frustis majoribus minoribusve venalis, ligno a cortice liberato, spongioso, ex annulis compacto extrorsum fuscis, introrsum pallidioribus, levibus, saporis subdulcis, odoris foeniculacei.

Limaces vid. **Helix pomatia.**

□ ††† **Lithargyrum.** *(Oxydum plumbicum.) Bleiglätte.*

Obtinetur in officinis metallariis in depuratione argenti.

Squamulae ex albo vel rubello sordide flavescentes, nitidae, tactu pingues, ponderis specifici 6,044, in aceto concentrato coquendo majori ex parte solubiles.

Cupro ne sit inquinatum, quod in solutione acido nitrico facta addito liquore ammonii caustici, ita ut praevaleat, colore coeruleo dignoscitur.

□ Lycopodium. *(Semen.) Bärlappsaamen. Streupulver.*

Lycopodium clavatum Linn. Filix in sylvis Germaniae frequens. *

□ Macis. *Muskatenblüthe.*

Myristica moschata Linn. Arbor insularum Moluccarum.

Arillus nucis moschatae, rutilo-fulvus, corneo-coriaceus, subdiaphanus, flexilis, lacerus et late laciniatus, striatus, laciniis incurvis, compressis, calore oleum exsudans, odoris ac saporis nucis moschatae similis, praestantioris.

Magnesia carbonica venalis. *Magnesia alba. (Carbonas magnesicus cum aqua et hydrate magnesico.) Käufliche kohlensaure Bittererde. Weisse Bittererde.*

Praeparatum in officinis chemicis e magnesia sulphurica.

Sal terram referens, cohaerens, facillime friabilis, leviusculus, candidus, inquinans, in aqua fere indissolubilis, in acidis cum effervescentia penitus sol-

vendus. Sit purus, nec adulteratus calcaria carbonica, quae liquore ammonii oxalici e solutione magnesiae in acido nitrico praecipitari et sic dignosci potest. Kali aut natrum carbonicum magnesiae carbonicae admixta dignoscuntur infusione aquae ferventis, evaporatione ac iterata solutione in aquae frigidae parva quantitate.

□ **Magnesia sulphurica cruda.** *Sal amarum crudum. (Sulphas magnesicus cum aqua crudus.) Rohe schwefelsaure Bittererde, oder rohes Bittersalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum nec non salinarum e lixivio salis communis.

Sal in crystallis parvis prismaticis, splendentibus, albis, in aquae duabus partibus solubilis, saporis amari. Rejiciatur cupro et ferro inquinatus, colore et reagentibus jam pluries indicatis dignoscendis. Qui magnesia aut calcaria muriaticis mixtus est, aëri expositus humidus fit, qui natro sulphurico, aliquantulum fatiscit.

□ **Manganum oxydatum nativum.** *Magnesia nigra. (Superoxydum manganicum.) Grau-Braunsteinerz. Braunstein.*

Minerale e metallifodinis effossum.

Minerale ex classe metallorum lapidem referens, compactum et radiosum, subsplendens, coloris cha-

lybeo-grisei, fracturae minutim granulosae, inquinans, ponderis specifici 4,407, ignitum gas oxygenium et cum acido salis infusum chlorum largiens, in acido nitri insolubile. Haud emas pulverem Mangani oxydati, multis heterogeneis, praecipue sabulo plerumque inquinatum. Praeferendae massae splendentes texturae lamellosae seu radiatae.

□ Manna calabrina. *Calabrinische Manna.*

Succus e Cortice sauciato Fraxini rotundifoliae Aiton arboris in Calabria et Sicilia frequentis stillans induratus.

Glebae grumosae, albidae et ex albo lutescentes (aut frustula canaliculata alba), friabiles, calore manus emolliendae, et subviscidae, in aquae partibus tribus plane, in spiritu vini tantum ex parte solvendae, saporis dulcis, subnauseosi, acriusculi, odoris mellei.

Praeferenda Manna *electa* dicta, seu *cannulata*, in frustulis plerumque canaliculatis obvia. Sit corporibus heterogeneis non nimis inquinata, solutione in aqua dignoscendis. Solutio in spiritu vini rectificatissimo ope caloris facta et filtrata refrigeratione sic dictum *Mannitem* sub forma pulveris levissimi albi copiose demittat.

□ Mastiche. *Mastix.*

Succus Pistaciae Lentisci Linn. fruticis insularum Archipelagi condensatus.

Resina in frustulis majoribus plerumque saltem oblongis et complanatis, plurimis minoribus, pisi magnitudinis, subglobosis, subpellucidis, subsplendentibus, tritura pulverulenta impolita, coloris ex albido citrini, sub masticatione tenacibus, prunis injectis suaveolentibus, in spiritu vini rectificatissimo pro maxima parte solubilibus.

□ **Mel.** *Honig.*

Humor excretus Apis melliferae Linn. e nectariis florum collectus.

Mel *album* seu *virgineum (weisser Honig, Jungfernhonig)*, quod sponte e favis apium effluit. Mel *commune* seu *flavum*, quod calore et pressione e favis elicitur.

□ ††† **Minium.** *Plumbum oxydatum rubrum. (Superoxydum plumbosum.) Mennige.*

Praeparatum officinarum chemicarum ustione plumbi oxydulati flavi (Massicot) sub aëris accessu.

Pulvis subtilis, coloris ex aurantiaco rubri, ponderis specifici 8,940. Cuprum et aliena metalla aut pulverem laterum non contineat, inde oxydulum flavum exaestuatione minii residuum integre in acido nitrico solvatur, et solutio affuso liquore natri sulphurici a plumbo plane liberata tum filtrata, instil-

lato liquore kali borussici vel kali carbonici haud mutetur.

□ **Moschus.** ***Bisam. Moschus.***

Folliculi Moschi moschiferi Linn. quadrupedis alpini Asiae mediae, prope genitalia maris positi.

Moschus recens e folliculis exemtus sit consistentiae aequabilis, subgranulosus, unguinosus, sanguineo-fuscus, tritus micans punctis subresinosis lucidius flavicantibus, non sabulosus, odoris peculiaris, gravissimi, diu persistentis, solum particularum minorum ac e distantia grati, plerumque illo ammonii mixti, saporis ex acri amari, penetrantis, exaestuantis. Moschus magis exsiccatus sit granuloso-grumosus, grumis et granis sibi non cohaerentibus, obscure fuscus, siccus, odoris non amplius ammoniacalis, ceterum uti et saporis supra descripti. Aqua calida etsi modo ex parte tamen potius quam in spiritu vini rectificatissimo solvatur. Combustione non foeteat odore animali empyreumatico, nec fundatur uti materia resinosa cum quadam ebullitione, nec nisi paucos cineres relinquat. Descriptis characteribus insignis est, solumque eligendus Moschus *Tonquinensis* e regno Tibetano et Chinensi allatus, cujus folliculi globosi magnitudine ovi gallinacei et minores, altera parte convexi, altera concavi, in parte convexa pilis brevibus, rigidis plerumque sub-

fuscis et circa ductum excretorium in medio positum quasi verticillatim obsiti, intus membranula tenui fusca diaphana vestiti, et quorum cavum materia moschi descripta sine ullo textu celluloso intermedio repletum est. Plane rejiciatur Moschus *Cabardinus* in folliculis majoribus inclusus, magnitudinem ovi gallinacei superantibus, pilis longioribus albo - cinereis obsitis, qui durior, siccior, odoris debilioris, quasi vegetabilis aromatici. Non ematur Moschus *ex vesicis* dictus, folliculis exemtus.

□ **Myrrha.** *Myrrhe.*

Succus aëre condensatus ***Amyris Kataf*** ***Forskael*** *(Balsamodendri Myrrhae Nees) arboris in Aegypto superiore et Nubia indigenae.*

Gummi-resina in frustis nucis avellanae et juglandis magnitudine, nonnullis quoque majoribus, angulosis, superficie verrucoso - scabrida, friabilis, levis, subpellucida, fusco - rubra, nitoris pinguis, fractura conchoidea, maculis et striis albis nonnunquam resegmentis unguium similibus variegata, et unguinoso-splendente, odoris aromatici non ingrati, saporis amari et aromatici. Prunis injecta non liquetur, sed statim deflagret. In aqua fere tota solutione flavo-fusca, turbida, in alcohole ex parte solutione rutila limpida solvitur.

Gummi-resinam propriam non raro myrrhae intermixtam magnitudinis nucis avellanae vel juglan-

dis albidam vel flavescentem, nitoris languidi, inodoram, saporis peramari (sic dictam *Myrrham albam*) non aromatici elige et rejice. Cave ne pro vera myrrha Myrrham *orientalem (ostindische)* accipias, in frustis majoribus, scabris, colore obscure fusco, aspectu minus pingui, sapore debili quamquam myrrhaceo distinguendam.

□ **Natrum carbonicum crudum s. Sal Sodae crudum s. Alkali minerale crudum.** *(Carbonas natricus cum aqua crudus.)* ***Rohes kohlensaures Natron, oder rohes Sodasalz.***

In officinis chemicis e natro sulphurico ustione cum carbone et calcaria usta, tum elixivatione residui et crystallisatione paratur.

Sal in frustis crystallinis albis pellucidis, in aëre fatiscentibus, saporis lixiviosi refrigerantis, in aquae partibus duabus solvendis, saepissime natro sulphurico, nec non natro muriatico et natro hydrosulphurato immixtis. Hoc odore praesertim, acido sulphurico aut muriatico affusis, illa praecipitatione ope liquoris barytae muriaticae, et argenti nitrici, si natrum antea acido nitrico neutralisatum fuerit, explorantur. Rejiciatur metallis inquinatum, post neutralisationem acido nitrico aqua hydrosulphurata et liquore kali ferreo-borussici dignoscendum.

□ **Natrum sulphuricum crudum seu Sal mirabile Glauberi crudum.** *(Sulphas natricus cum aqua crudus.) Rohes schwefelsaures Natron, oder rohes Glaubersalz.*

Paratur in officinis chemicis e residuis destillationis acidi muriatici nec non coctionis natri muriatici.

Sal in frustis crystallinis, pellucidis, in aëre fatiscentibus, in aquae tribus fere partibus solvendis, saporis amaricantis refrigerantis.

Saepissime calcariam sulphuricam et natrum muriaticum immixta continet. Hoc liquore argenti sulphurici, illa liquore kali carbonici exploratur. Rejiciatur quod metallis inquinatum est, aqua hydrosulphurata et kali borussico dignoscendum.

□ **Nux moschata.** *Muskatnuss.*

Myristica moschata Linn.

Nuclei oleosi, subglobosi, ponderosi, gyrose-sulcati, extus cinerei, intus ex fusco et rubenti colore variegati, odoris fragrantis, saporis aromatici suavis. Rejiciantur vermibus exesi.

□ ††† **Nux vomica.** *Krähenaugen.*

Strychnos Nux vomica Linn. Arbor zeylanica et malabarica.

Semina orbiculata, compressa, tenacia, villis e cinereo argenteis nitentibus obsita, inodora, saporis summe amari, virulenta.

Oculi Cancrorum vid. **Lapides Cancrorum.**

□ **Oleum animale foetidum. Oleum Cornu Cervi.** ***Stinkendes Thieröl. Hirschhornöl.***

Paratur in officinis chemicis e variis animalium partibus destillatione sicca.

Oleum empyreumaticum, spissiusculum, brunneofuscum, opacum, aqua levius, odoris foetidi, in aqua ex parte, et in tribus partibus spiritus vini rectificatissimi fere totum solubile. Sit consistentia non nimis spissa.

Oleum Aurantiorum Florum. ***Oleum Neroli. Pomeranzenblüthenöl. Neroliöl.***

Destillatione e floribus Citri Aurantiorum in Europa meridionali paratur.

Oleum aethereum e rufo flavum, limpidum, fragrans, ponderis specifici = 0,819.

□ **Oleum Bergamottae.** ***Bergamottöl.***

Praeparatum officinarum technicarum e Citri Aurantii varietatis fructibus.

Oleum aethereum, coloris aurei, fragrans, ponderis specifici = 0,885.

□ **Oleum Cajeputi.** *Cajeputöl.*

Paratur destillatione in India orientali e ramis et foliis Melaleucae Cajeputi Roxburgh et Colebrooke arbusculae ibidem indigenae.

Oleum aethereum, tenue, plerumque pallide viride, rarius flavescens, odoris fragrantis, cardamomeo-camphoracei, saporis similis, subamari, sensum refrigerationis relinquentis, ponderis specifici = 0,978.

Ante usum investigandum, an sit cupro coloratum, quod quidem oleo inest, si oleum cum aqua et pauxillo acidi nitrici commixtum et peragitatum colorem viridem amittit, liquoribus ab invicem separatis aquoso post neutralisationem cum ammonio addito liquore kali borussici paecipitatum rutilo-brunneum demittente. Tale oleum cupro inquinatum nova destillatione rectificandum, et non nisi rectificatum adhibendum.

Oleum Citri seu de Cedro. *Citronenöl. Cedroöl.*

In Europa meridionali e fructuum corticibus Citri medicae Linn. expressione paratur.

Oleum aethereum, tenue, subflavum, odoris fra-

grantis, saporis non urentis, ponderis specifici = 0,856 — 0,878.

††† Oleum Crotonis. *Crotonöl.*

Praeparatur in India orientali e seminibus Crotonis Tiglii Linn., fruticis praesertim in insulis Moluccis frequens.

Oleum unguinosum, principio acri mixtum, spissiusculum, e flavo fuscum, odore resinam jalapae aemulante, saporis acerrimi urentis, in triginta sex partibus spiritus vini rectificatissimi solvendum.

Affertur ex Anglia in vitris drachmae unius, sed immediate quoque e seminibus recentioribus decorticatis Tiglii exprimi potest, et ut ipsi experti sumus paris efficaciae ut illud ex Anglia allatum.

Oleum Jecoris Aselli. *Stockfischleberthran.*

Ex hepate Gadi Morrhuae et Gadi Callarias Linn. in Norwegia obtinetur sponte effluens.

Oleum pingue, limpidum, aureo-flavum vel et dilutius flavum, spissiusculum, odoris piscini debilioris, saporis paris mitis, ponderis specifici = 0,920, in spiritu vini alcoholisato, et aethere sulphurico solubile. *Oleum Jecoris Aselli empyreumaticum* e hepate assato elicitum opacum, coloris badii, ponderis specifici = 0,923, consistentia priori simile, sed odore et sapore simul subempyreumatico

et acri diversum. Qui medici Oleum Jecoris Aselli praescribunt, alteram varietatem designatione Olei *empyreumatici* a priori distinguant.

□ Oleum laurinum. *Lorbeeröl. Looröl.*

Paratur e fructibus recentibus Lauri nobilis Linn. coctione et expressione in Europa meridionali.

Oleum aethereo-unguinosum spissum, granulatum, e flavo viride, odoris laurini, in aethere sulphurico totum, in spiritu vini praecipue pro parte aetherea solubile.

□ Oleum Lini. *Leinöl.*

Expressione paratur e seminibus Lini usitatissimi Linn. plantae annuae sativae Europae.

Oleum unguinosum, fusco-flavum, ponderis specifici 0,930—0,950. Cave ne rancidum sit.

Oleum Lavandulae. *Lavendelöl.*

Destillatione ex herba florente Lavandulae Spicae Linn. in Gallia meridionali praesertim paratur.

Oleum aethereum, e virenti flavescens, fragrans, ponderis specifici 0,898—920.

Oleum Nucum Juglandum. *Wallnussöl.*

Juglans regia.

Oleum expressum e nucleis, flavum, odoris expers, saporis mitis grati, ponderis specifici 0,928.

□ **Oleum Nucum moschatarum unguinosum.** *Oleum Nucistae. Muskatnussöl. Muskatbalsam.*

Paratur expressione e nucleis Myristicae moschatae Linn. in India orientali.

Oleum aethereo-unguinosum, compactum, in panibus seu massis oblongis quadrangularibus occurrens, extus e rubello flavis, intus maculis rubellis variegatis, consistentiae sevi vervecini, aqua levius, odoris aromatici, saporis aromatici pinguis, utriusque nucis moschatae proprii, in aethere sulphurico fervente totum solubile, solutione pellucida.

Cave ne sit sevo adulteratum, quod in aethere sulphurico solutum turbidam reddet solutionem.

□ **Oleum Olivarum.** *Olivenöl. Baumöl.*

Ex Oleae europaeae Linn. arboris Europae meridionalis fructibus expressione paratur.

Oleum Olivarum *provinciale (feines Olivenöl, Provenceröl)* e fructibus maturis levi expressione si-

ne calore obtinetur, praesertim ex provincia Narbonnensi allatum, unguinosum, pellucidum, coloris expers, aut subflavescens, vix odoratum, saporis dulciusculi, mitis, temperatura ^{0} aut paullo infra in massam albam, granulosam coalescens, ponderis specifici 0,913 ad usum internum, aut si Oleum Olivarum *optimum* praescriptum fuerit, adhibendum est.

Oleum Olivarum *commune (Baumöl)* secunda eaque fortiori fructuum aqua fervida infusorum expressione obtentum, coloris obscurioris flavo-virentis, non nimis spissum, odoris proprii haud grati etsi debilis, nec rancidi, saporis paris, ponderis specifici 0,927 ad paranda emplastra adhiberi potest. A plumbo aut cupro oxydatis solutisque liberum sit, ac inde cum pari quantitate acidi nitrici sedecies cum aqua diluti bene conquassatum acido nullo modo oxyda ista cedat, quod exploratur, si acido separato aqua hydrosulphurata affunditur.

□ Oleum Petrae. *Petroleum. Steinöl.*

Oleum bituminosum in Oriente et variis Europae locis e terra saxorumque rimis profluens.

Liquor flavus, aut rubescens, limpidus, sapore et odore bituminoso, volatilis, igne deflagrans, in oleis, nequaquam in spiritu vini rectificatissimo solubilis, ponderis specifici 0,847 — 0,854.

Cave ne petroleum sit oleo terebinthinae inquinatum, quod ex addito acido sulphurico concentrato crustam rubentem deponit, nec oleo succini, quod eodem acido addito ita spissescit, ut vitro adhaereat, tum odore quoque dignoscendum.

□ Oleum Raparum. *Rüböl.*

E seminibus maturis ***Brassicae Napus Linn.*** *plantae annuae in agris nostris cultae expressum.*

Oleum unguinosum, flavum, odoris subnauseosi et saporis paris, ponderis specifici 0,920.

□ Oleum Ricini seu Palmae. *Ricinusöl. Castor- oder Palmöl.*

Paratur vel expressione vel coctione cum aqua e seminibus variarum ***Ricini*** *Linn. specierum in India occidentali.*

Oleum unguinosum, spissiusculum, coloris expers, aut subflavum, inodorum, saporis fatui, siccantis, ponderis specifici 0,954 — 0,970, in spiritu vini alcoholisato omni proportione sine residuo solubile.

Rejiciatur oleum ricini coloris flavi, saporis acris. E seminibus probe maturis, et siccis, excorticatis exprimendum, si venale gustando et aliis signis non bonae notae se exhibeat.

□ **Oleum Roris marini seu Anthos.** *Rosmarinöl.*

Destillatione ex herba florente Roris marini in regionibus australibus Europae, praesertim in Gallia meridionali et Hispania paratur.

Oleum aethereum, incolor, tenue, limpidum, graveolens, saporis camphoracei, ponderis specifici 0,911 — 0,915.

Oleum Serpylli. *Quendelöl.*

Ex herba florente Thymi Serpylli Linn. destillatione elicitur.

Oleum aethereum, e rutilo flavescens, fragrans, ponderis specifici 0,905.

□ **Oleum Succini crudum.** *Rohes Bernsteinöl.*

Paratur in officinis chemicis destillatione sicca succini.

Oleum empyreumaticum, spissiusculum, fuscum, odore bituminoso, ponderis specifici 0,886.

□ **Oleum Terebinthinae.** *Terpenthinöl.*

Destillatione e terebinthina communi et laricina cum aqua obtinetur.

Oleum aethereum, incolor, tenue, graveolens, ponderis specifici 0,870 — 0,890.

Cave ne sit adulteratum oleo ex ligno et strobulis diversarum Pini specierum destillato, odoris deterioris.

Oleum Vitrioli vid. Acidum sulphuricum.

□ Olibanum seu Thus. *Weihrauch.*

*Succus aëre induratus **Boswelliae serratae** Roxburgh, arboris Indiae orientalis.*

Resina in frustulis magnitudinis nucis juglandis et granulis minoribus, albido-lutescentibus, haud nitentibus, pulvere quasi inspersis, subdiaphanis, fragilibus, odoris, dum accenditur, fragrantis, saporis subamaricantis. In spiritu vini pro maxima parte solvitur.

A descripto Olibano *indico* differt paullulum Ol. *africanum*, quod sit minus diaphanum et colore majorum frustorum in rutilum vergente.

□ ††† Opium. *Opium. Mohnsaft.*

*Paratur e capsulis immaturis **Papaveris somniferi** Linn. plantae annuae in Oriente et Aegypto cultae.*

Extractum spissum obvium in panibus pugnum circiter aequantibus, vel in frustis difformibus, foliis papaverinis involutis, saepius seminibus Rumicis cujusdam adspersis, spadiceo-fuscum, opacum, parum nitens, ponderosum, tenax, intus mollius et

digitis adhaerens, siccatum tritura flavum, saporis amari, acris, salivam colore flavo tingens, odoris nauseoso-narcotici, nec empyreumatici, nec fermentationem vel mucorem prodentis. In aqua majori ex parte solubile, solutione limpida, totum fere, exceptis quisquiliis, in vinis generosis spirituosis.

Solutio aquosa satis diluta, ut ejus color sit pallide fuscus, addito liquore ferri muriatici oxydati saturate hyacinthinum induat colorem. Cave ab opio ex India orientali allato, quod colore obscuriori fere nigro, et odore illi Hyoscyami magis simili ab opio levantico differt, et in loco humido facile mucorem acquirit. Caute servandum.

Ossa Sepiae. *Blackfisch-, Dintenfischbein.*

Sepia officinalis Linn. Molluscum cephalopodum oceani.

Solidum et osseum tegmen cuti hujus animalis insidens, lamellis superimpositis constans, multiplici tubulorum ordine inter se cohaerentibus. Friabilis et fungosa ejus substantia interior solum in usum vocanda.

Oxalium seu Sal Acetosellae. *(Bioxalas kalicus cum aqua.) Sauerkleesalz.*

E succo foliorum Oxalidis acetosellae Linn. et Rumicis acetosellae Linn. plantarum perennium, prioris in silvis umbrosis, posterioris

in pratis Europae frequentium, nec non in hortis cultarum, crystallisatione paratur.

Sal in granis vel lamellis crystallinis, albis, saporis acidi, in aqua difficile, in spiritu vini rectificatissimo non solubilis. Cave ne sit adulteratum tartaro depurato, qui carbonem in igne praebet, nec kali sulphurico acido, quod ignitione in kali carbonicum non mutatur.

□ **Passulae minores s. corinthiacae.** ***Korinthen.***

Vitis apyrena Linn. Frutex Europae australis, inprimis Archipelagi.

Baccae maturae sole siccatae.

□ ††† **Phosphorus.** ***Phosphor.***

In officinis-chemicis destillatione sicca acidi phosphorici impuri carboni pulverato mixti paratur.

Venalis refert bacillos albos, vix flavescentes, recens paratos pellucidos, ceraeque instar nitentes, ponderis specifici 1,700 — 1,770, qui sub aqua tractu temporis superficie alba pulverulenta obducuntur, et lucis influxu rubescunt, consistentia ceram aequantes, illaque vix fragiliores; sub aëris attactu vapores odoris alliacei exhalant, temperatura 36 — 40° R. sub aqua liquescunt, et 48° in aëre flammam concipiunt.

Piper album. *Weisser Pfeffer.*

Piper nigrum Linn. Frutex Indiae orientalis.

Baccae maturae, globosae, cortice exteriore liberatae, hinc laeves, albae, sapore minus acres quam Piper nigrum.

Piper hispanicum vid. **Fructus Capsici.**

Piper nigrum. *Schwarzer Pfeffer.*

Piper nigrum Linn.

Baccae immaturae, siccatae, globosae, cortice exteriore nigro, rugoso vestitae, intus albae, durae, odoris aromatici, saporis ferventis acris.

Pix alba seu burgundica. *Weisses Pech.*

Paratur e variis Pini speciebus liquatione resinae ex ipsis sponte fluentis, coctione cum aqua et colatione.

Resina pallide fusca, frigore fragilis, et ictu in fragmenta conchoidea nitentia dissiliens, calore manus mollescens, odoris ingrati, therebinthinacei.

Pix liquida. *Theer.*

Ignis ope e ligno sicco Pini Abies Linn. et silvestris Linn. arborum frequentium in sil-

vis borealibus destillatione per descensum eliquata.

Liquidum tenax, obscure fuscum, nitensque, ingrate olens, saporis amari acris.

Pix navalis. *Schiffspech.*

Paratur evaporatione Picis liquidae.

Resina in frustis difformibus atris fractura nitidis, frigore fragilibus, calore manus emolliendis, flammae admotis ardentibus fumo nigro et odore resinoso suffocante.

Plumbago vid. Graphites.

□ ††† **Plumbum aceticum crudum.** *Saccharum Saturni. (Acetas plumbicus crudus cum aqua.) Rohes essigsaures Blei. Roher Bleizucker.*

Praeparatum officinarum chemicarum e plumbo oxydato et aceto destillato.

Sal in crystallis minutis prismaticis, saepissime cohaerentibus, albis, sericeo-splendentibus, diaphanis, odoris acetici, saporis primum dulcis, dein styptico-metallici, in aquae duabus partibus, nec non in spiritu vini solvendis. Interdum calcariam et argillam aceticam continet, quod dignoscitur, si post plenariam praecipitationem plumbi ope aquae

hydrosulphuratae kali carbonicum praecipitatum album dejicit. Caute serva in vasis clausis.

Poma acidula. *Säuerliche Aepfel.*

Pyrus malus Linn. Arbor Europae in hortis culta.

Sint matura.

□ **Poma Aurantiorum immatura.** *Unreife Pomeranzen.*

Citrus Aurantium Linn.

Fructus immaturi, siccati, ad magnitudinem cerasorum usque electi, e viridi nigrescentes, aromatici, amari.

Putamina Nucum Juglandum vid. **Cortex.**

□ **Radix Alkannae.** *Alkannawurzel.*

Anchusa tinctoria Linn. Planta perennis per Europam meridionalem frequens.

Radix crassitie digiti, rugosissima, extus saturate rubra, intus alba, inodora, fere insipida.

□ **Radix Althaeae.** *Eibischwurzel. Altheewurzel.*

Althaea officinalis Linn. *

Colligenda autumno.

□ Radix Angelicae. *Angelik- oder Engelwurzel.*

Angelica archangelica Linn. Planta biennis Europae borealis.

Colligatur anno aetatis secundo, tempore verno. Non sit vermibus exesa.

□ Radix Ari. *Aronwurzel.*

Arum maculatum Linn. Planta perennis Germaniae. *

Vere vel etiam sero in autumno et quidem solummodo bene succosa colligenda.

□ Radix Armoraciae s. Raphani rusticani. *Meerrettig.*

Cochlearia Armoracia. Planta perennis Germaniae, frequenter in hortis culta. *

Non nisi recens adhibeatur. Colligenda autumno.

□ Radix Arnicae. *Wohlverleihwurzel.*

Arnica montana Linn. *

Colligenda vere.

Radix Artemisiae. *Beifusswurzel.*

Artemisia vulgaris Linn. Planta perennis in Germania frequens. *

Colligenda autumno.

□ Radix Bardanae. *Klettenwurzel.*

Arctium Lappa Linn. et Bardana Willden. Plantae biennes in Germania obviae. *

Colligenda vere, secundo aetatis anno.

□ †† Radix Belladonnae. *Belladonnawurzel.*

Atropa Belladonna Linn. *

Colligenda vere. Caute servanda.

Radix Bistortae. *Schlangenwurzel.*

Polygonum Bistorta Linn. Planta perennis Germaniae, in montosis et in pratis humidis. *

Colligenda vere.

Radix Caïncae seu Serpentariae brasiliensis. *Caïncawurzel.*

Chiococca anguifuga Nees. Frutex Brasiliae.

Radix cylindrica, ramosa, quatuor ad sex pollices longa, pennam anserinam usque ad digitum minorem crassa, longitudinaliter subsulcata, epidermide cinereo-fusca, cortice fragili cinereo, ligno albo spongioso, odore nauseoso illi radicis ipecacuanhae simili, sapore subadstringente acri (*kratzend*), diu faucibus inhaerente. Omnis vis in cortice.

□ **Radix Calami aromatici.** *Kalmuswurzel.*

Acorus Calamus Linn. Planta perennis palustris Germaniae. *

Colligenda vere, aut sero autumno.

□ **Radix Caricis arenariae.** *Sandriedgraswurzel.*

Carex arenaria Linn. Planta perennis in locis arenosis Germaniae frequens. *

Colligenda primo vere.

□ **Radix Caryophyllatae.** *Nelkenwurzel.*

Geum urbanum Linn. Planta perennis in Germania frequens. *

Colligatur primo vere locis siccis, nec ultra annum servetur.

Radix Chelidonii. *Schöllkrautwurzel.*

Chelidonium majus. *

Ante florescentiam colligenda. Recens adhibenda.

□ **Radix Chinae.** *Chinawurzel.*

Smilax China. Frutex in imperio Chinensi frequens.

Radix geniculata, ponderosa, magna, subamylacea, cortice tenui rufescente, intus pallide rubra, inodora, saporis subdulcis, subadstringentis.

□ **Radix Cichorei.** *Cichorienwurzel.*

Cichorium Intybus Linn. Planta biennis Germaniae, frequenter culta. *

Secundo anno autumno colligenda.

††† **Radix seu Bulbus Colchici.** *Zeitlosenwurzel.*

Colchicum autumnale Linn. Planta perennis in pratis Europae mediae frequens. *

Colligatur mensibus Septembris et Octobris.

□ **Radix Columbo.** *Kolumbowurzel.*

Menispermum palmatum Linn. seu Cocculus palmatus Decandolle. Planta dioica Africae orientalis.

Radix in taleolas transversim, rarius in frusta longitudinalia secta, epidermide subfusca, rugosa, cortice e viridi luteo, unam vel duas lineas crasso, per lineam fuscam flexuoso-undulatam separato a substantia interna sordide ac pallide flava, striis excentricis subfuscis ac punctis notata, compacta, linea pari etsi minus insigni a medulla spongiosiori distincta, odoris subaromatici, saporis peramari mucilaginosi.

Radix Columbo spuria ex America sub nomine verae fraudulenter in Europam invecta, transversim et longitudinaliter dissecta occurrit uti vera, tamen

facile ab ea distinguenda epidermide transversim striata et sulcata, griseo-fusca, substantia interiore livide albida, linea nigrescente circulari experte, sapore subdulci amariusculo, subnauseoso, odore illi Levistici appropinquante.

Tinctura spirituosa verae peramara, chartam flavo colore imbuens, addita tinctura gallarum praecipitatum sordide flavum edit, a liquore ferri muriatici oxydati modo coloris intensioris fit; tinctura radicis spuriae subamaricans, coloris obscure-vinacei a tinctura gallarum non mutatur, et additis liquoris ferri muriatici oxydati guttulis obscure virescit.

Cave bene a spuria, et rejice etiam veram vermibus perforatam.

□ Radix Curcumae. *Gelbwurzel. Kurkume.*

Curcuma longa Linn. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix (rhizoma) cylindrica, aut oblonga, tuberculata, rugosa, ponderosa, tenax, extus e luteo fusca, intus intense flava, punctis nitidis conspicua, saporis amari et aromatici.

Radix Cynoglossi. *Hundszungenwurzel.*

Cynoglossum officinale. Planta biennis Germaniae. *

Colligenda autumno.

Radix Dauci. *Möhre. Gelbe Wurzel.*

Daucus Carota Linn. Var. sativa. Planta biennis Germaniae, in hortis culta. *

Pro succo exprimendo primo autumno colligenda.

□ **Radix Enulae seu Helenii.** *Alantwurzel.*

Inula Helenium Linn. Planta perennis Germaniae et Helvetiae. *

Colligenda autumno vel vere.

Radix Filicis. *Farrnkrautwurzel.*

Asplenium Filix mas Swartz. In silvis Germaniae frequens. *

Ad parandum pulverem radix recens bene deglubetur, caute siccetur, et pulvis in vitro bene obturato servetur.

Colligatur autumno aut vere et ultra annum non servetur.

Radix Galangae minoris. *Galgantwurzel.*

Planta ignota Chinensis.

Radix (rhizoma) teres, crassitie digiti, annulata, extus e fusco rufa, intus rubicunda, odoris aromatici, saporis acris amaricantis.

□ Radix Gentianae rubrae. *Rothe Enzianwurzel.*

Gentiana lutea Linn. Planta perennis alpina Helvetiae.

Radix crassitie pollicis aut paullo majore, parum ramosa, in trunco (rhizomate) annulata, radiculis vix ullis, in ramis longitudinaliter rugoso-striata, extus fusca, intus praesertim madefacta e flavo rubicunda, cortice crassiusculo, ligno crasso, spongioso, saporis intense amari.

Cave maxime, ne radices Veratri albi aut Belladonnae immixtae sint. Rejiciendae radices pallidiores.

□ Radix Graminis. *Quecken- oder Graswurzel.*

Triticum repens Linn. Gramen perenne ad agros Germaniae frequens.

Colligenda sero autumno aut vere.

††† Radix Hellebori albi. *Weisse Nieswurzel.*

Veratrum album Linn. Planta perennis alpina Helvetiae et Germaniae meridionalis.

Radix (rhizoma) venalis sicca, deformis, subconica, truncata, nodosa, pollicem circiter crassa, pollices plures longa, e radiculis resectis scabra,

epidermide e luteo pallide fuscescente, intus alba, saporis primum e dulci amari, nauseosi, dein corrosivi, pulveratione sternutationem vehementer excitans, venenosa. Caute servanda.

□ ††† Radix Hellebori nigri seu Melampodii. *Schwarze Nieswurzel.*

Helleborus niger Linn. Planta perennis Helvetiae et Germaniae meridionalis.

Radix (rhizoma) brevis, crassiuscula, tuberculata, magnitudine nucis moschatae, radiculis copiosis rhizoma fere obtegentibus, praelongis, versus basin lineam fere crassis et in tenuissimas fibrillas desinentibus, epidermide fusco-nigrescente, cortice crassiusculo albo, ligno tenui e fasciculis composito, odoris, si recens, nauseosi, acris, siccata fere inodora, saporis amariusculi acris, linguam inprimis recens obstupefaciens.

Cavendum ne cum radice *Adonidis vernalis*, fibrillis non e ramis sed e rhizomate orientibus nigerrimis praedita, aut *Actaeae spicatae* adulterata sit, cujus infusum aquosum addito liquore ferri muriatici laete virescit, et obscure viride praecipitatum praebet, infuso radicis Hellebori nigri paululum tantum inde virescente, nec turbato. Haud adhibenda radix Hellebori in hortis culti. Caute servanda.

□ Radix Jalapae. *Jalapenwurzel.*

Convolvulus Jalapa Linn. seu Ipomaea Jalapa Michaux. Planta perennis Mexicana.

Radix sicca, tuberosa, compacta, ponderosa, extus fusca, rugis nigricantibus, vel integra pyriformis a magnitudine majoris nucis juglandis usque ad magnitudinem pugni, vel in taleolas aut transversim aut secundum longitudinem dissecta, composita e lamellis concentricis resinosis, fuscis textu celluloso subfusco distinctis, odore et sapore acri et nauseoso.

Cave ne radicem cum spiritu vini partim resina privatam accipias.

Radix Imperatoriae. *Meisterwurzel.*

Imperatoria Ostruthium Linn. Planta perennis montana Germaniae australis.

Radix elongata, nodoso-annulata, compressa, extus e luteo nigrescens, intus albida, folliculis sub epidermide conspicua, odoris gravis, saporis ex acri aromatici.

□ Radix Ipecacuanhae. *Brechwurzel. Ruhrwurzel.*

Cephaëlis Ipecacuanha Willden. Planta perennis Brasiliana.

Radix gracilis, flexuosa, aliquot pollices ad quatuor longa, altera extremitate calamum scriptorium crassa, finem versus usque ad crassitiem calami straminei tenuioris coarctata, annulata, annulis integris confertis, inaequalibus, rimis profundis divisis, epidermide fusco-cinerascente, cortice albicante compacto, fragili, fractura subnitente, amaro et acri-nauseoso, odoris mucidi, irritantis, nauseosi, parte interiori lignea, filiformi, subflavescente, insipida. Pulveratione residuum hoc invalidum rejiciendum. Alias verae Ipecacuanhae affines radices, nempe *undulatam* seu *albam*, *amylaceam* a *Richardsonia scabra* Martii originem trahentem, strictiorem, crassiorem, nodosam, raro subannulatam, epidermide vel albido-grisea, vel pallide fusca, laevi, cortice friabili, albo, texturae amylaceae, filum lignosum pallide flavum tenuius includente, saporis acriusculi, nauseosi, sed debilioris, verae Ipecacuanhae saepius admixtam, et speciem alteram *striatam*, *nigram*, lineas duas usque tres crassam, subarticulatam, in longitudinem striato-rugosam, epidermide griseo-nigra, cortice subfusco, filo interno crasso lutescente a *Psychotria emetica* Hayne, nobis perraram, non in usum medicum admitte.

Pulvis radicis Ipecacuanhae in vasis bene clausis nec nimis diu servandus; hinc una vice parva copia pulveranda.

□ **Radix Iridis florentinae.** *Florentinische Veilchenwurzel.*

Iris florentina Linn. Planta perennis Italiae.

Radix (stolo) nodosa, compacta, crassitie pollicis et ultra, post resectum corticem cum radiculis alba, punctis subfuscis notata, odoris violarum, saporis amariusculi, mucilaginoso-farinacei, subacris.

Radix Lapathi acuti. *Grindwurzel.*

Rumex obtusifolius Linn. et Rumex pratensis Koch et Mart. Plantae perennes Europae. *

Sero autumno aut vere effodiendae.

Radix Levistici. *Liebstöckelwurzel.*

Ligusticum Levisticum Linn. Planta perennis Germaniae australis, in hortis culta. *

Effodienda vere.

Radix Liquiritiae s. Glycyrrhizae. *Süssholzwurzel.*

Glycyrrhiza glabra Linn. Planta perennis Europae meridionalis.

Radix praelonga, cylindrica, lignosa, crassitie digiti, etiam pollicis, extus e cinereo nigricans, ve-

nalis plerumque deglubata, cortice ligneo, compacto, attamen lamelloso, coloris pallide sulphurei, substantia interna flava, radiata, saporis perdulcis dein amaricantis.

Radix Ononidis spinosae. *Hauhechelwurzel.*

Ononis spinosa Linn. Planta perennis ad vias frequens. *

Colligenda vere.

Radix Paeoniae. *Paeonien- oder Gichtwurzel.*

Paeonia officinalis Linn. Planta perennis alpestris meridionalis Europae, nobis hortensis.

Colligenda vere.

□ Radix Pimpinellae. *Bibernellwurzel.*

Pimpinella Saxifraga Linn. Planta perennis in locis siccis Germaniae. *

Colligenda vere.

Radix Polypodii. *Engelsüsswurzel.*

Polypodium vulgare Linn. Filix in silvis umbrosis Germaniae frequens. *

Colligenda vere.

Radix Pyrethri. *Bertramwurzel.*

Anthemis Pyrethrum Linn. Anacyclus Pyrethrum Linckii. Planta perennis Africae borealis nec non Europae meridionalis, et Anacyclus officinarum Hayne. Planta annua incertae originis in Thuringia ac prope Magdeburgum culta.

Radix prioris cylindrica, simplex, crassitie 5—6 linearum, ligno praesertim crasso, spongioso, posterioris cylindrica, simplex, tenuis, crassitie 2—3 linearum, petiolis residuis siccatis connata, epidermide griseo-fusca, rugosa, cortice fusco, substantia interna flavescente, utraque sapore acerrimo salivam promovente.

□ **Radix Ratanhiae seu Ratanhae.** *Ratanhawurzel.*

Krameria triandra Ruiz. Planta suffruticosa Peruviana.

Radix elongata, ramosa, subcylindrica, rhizomate pollicem dimidium ad unum crasso, ramis palmam ad ulnam longis, flexuoso-torosis, versus finem in fibrillas continuatis, epidermide rutilo-fusca, transversim rimosa, aspera, cortice fibroso, unam ad duas lineas crasso, purpurascente, substantiam lignosam rutilam, cum disco medio obscure fusco, in radicibus crassioribus durissimam, in ramis tenuio-

ribus rutilo-albidam complectente, sapore corticis valde styptico, amaricante, materia lignosa fere insipida. Ad pulverem non nisi cortex radicis adhibeatur.

Radix Rubiae tinctorum. *Färberröthewurzel. Krappwurzel.*

Rubia tinctorum Linn. Planta perennis Orientis, in Europa frequenter culta.

Colligenda autumno.

□ Radix Rhei seu Rhabarbari. *Rhabarberwurzel.*

Rheum australe Don. R. Emodi Wallich. Planta perennis alpina regni Tibetani.

Radix *Rhabarbari moscovitici (russische Rhabarber)* occurrit in frustis angulatis, subquadratis, profunde resecando mundatis, foraminibus latis rotundis perforatis, extus e luteo et rutilo reticulato-variegata, fractura densa, granulata, e roseo et albo variegata, odoris nauseosi, proprii, saporis paris, amaro-subadstringentis, masticata sub dentibus paululum stridens, et salivam colore croceo tingens, mucilagine carens.

Radix *Rhabarbari chinensis* seu *indici (chinesische Rhabarber)* occurrit potius in frustis vel cy-

lindrico-conicis napiformibus, apice abscissis, pollices duos et ultra crassis, vel plano-convexis, divisione longitudinali radicum majorum in duo frusta ortis, ab epidermide liberatis, extus luteo-gilvis fuscescentibus, lineatis, fractura quoque ex albido et roseo variegata, odoris fortioris, saporis magis nauseosi, masticatione sub stridore fortiori salivam aurantiaco colore sine mucilagine impraegnans.

Rhabarbarum moscoviticum praeferendum.

Radices extus potius fuscae quam luteae, laeves, spongiosae rejiciendae. Cave a Rhabarbaro spurio moscovitico ex Anglia advecto, in frustis planis obvio, quoad habitum externum frustis Rhabarbari sinceri moscovitici satis affinibus, sed eo distinguendis, quod sint levia, digitis facile friabilia, sub dentibus non stridentia, odoris debilis, et in superficie fracturae minus distincte striis albis et rufis variegata.

□ Radix Salep. *Salepwurzel.*

Orchidis Linn. species ignotae. Plantae perennes Orientis.

Tubera ovato-oblonga, subdiaphana, dura, ponderosa, e lutescenti cinerea, simplicia, rarius palmata, pulverata aqua fervida affusa spissam mucilaginem exhibentia. Rejiciantur radices cariosae, mucidae.

□ **Radix Saponariae.** *Seifenkrautwurzel.*

Saponaria officinalis Linn. Planta perennis Germaniae. *

Autumno colligenda.

□ **Radix Sarsaparillae.** *Sarsaparillwurzel.*

Smilax officinalis Linn. et syphilitica Humboldt, et forsan aliae Smilacis species. Suffrutices Americae meridionalis.

Radix cylindrica, simplex, praelonga, crassitie calami scriptorii, longitudinaliter-rugoso-sulcata, epidermide fuscescente, cortice rutilo-fusco, longitudinaliter facile secanda, fracturae albae cum annulo corticali fuscescente, inodora, saporis amylacei, submucidi, dein amaricantis.

Affertur aut in fasciculis rotundatis orbiculatim contortis, globum magnum medio perforatum referentibus, *Sarsaparilla electa* seu *rotunda* seu *ligata (gebundene Sarsaparille)*, vel sub nomine Sarsaparillae de *Honduras* s. *naturalis* s. *longae* rhizoma cum ramis adhaerentibus, ulnam ad quatuor pedes et ultra longis.

Rejiciendae mucidae, insipidae, nimis fragiles.

□ **Radix Scillae.** *Meerzwiebelwurzel.*

Scilla maritima Linn. Planta perennis in Europa meridionali frequens.

Bulbi squamae albae, vel lutescentes, striatae, hinc inde praesertim secundum nervos subrubentes, corneae, subpellucidae, ad duos pollices longae lataeque, unam ad duas lineas crassae, saporis peramari. Prostant quoque bulbi integri ovato-globosi, magnitudinis pugni et ultra, non siccati, epidermide e fusco rubente tunicati, succo mucilaginoso peracri turgidi.

□ Radix Senegae. *Senegawurzel.*

Polygala Senega Linn. Planta perennis Virginiae et Pensylvaniae.

Radix rhizomate brevi, crasso, annulato-rugoso, subnodoso, ramis sensim attenuatis, flexuosis, crassioribus contortis in curvaturas carina notatis, epidermide lutescenti-fusca, cortice intus et ligno albidis, odoris, si contunditur, acris fere rancidi, saporis primum farinacei, mox acidiusculi, denique acris, quasi rancidi, linguae et faucibus pertinaciter inhaerentis.

□ Radix Serpentariae virginianae. *Virginische Schlangenwurzel.*

Aristolochia Serpentaria Linn. Planta perennis Virginiae et Carolinae.

Radix fibrosa, capite (rhizomate) flexuoso, tuberculato (ex initiis ramorum), radiculis longis, tenuis-

simis, copiosis, intricatis, fuscis, odoris fragrantis camphoracei, saporis acris, aromatici.

Radix Symphyti seu Consolidae majoris. *Schwarzwurzel.*

Symphytum officinale Linn. Planta perennis Germaniae in humidis habitans. *

Autumno effodienda.

□ Radix Taraxaci. *Löwenzahnwurzel.*

Leontodon Taraxacum Linn.

Radix vere cum herba juniori colligenda.

□ Radix Tormentillae. *Tormentillwurzel.*

Tormentilla erecta Linn. Planta perennis Europae. *

Colligenda vere.

□ Radix Valerianae minoris seu silvestris. *Kleine Baldrianwurzel.*

Valeriana officinalis Linn. Planta per Europam frequens. *

Colligenda vere antequam caules pronascuntur e locis montosis, et cito siccanda.

Radix Zedoariae. *Zittwerwurzel.*

Curcuma Zedoaria **Roscoe.** *C. Zerumbeth* **Roxburgh.** *Planta perennis Indiae orientalis.*

Radix (rhizoma) oblonga seu subconica, radiculis et epidermide plerumque resectis, ipsa longitudinaliter secta, compacta, extus e fusco cornea, intus albida, folliculis parvis resiniferis, odoris fragrantis subcamphoracei, saporis acris aromatici, quae quidem descripta radix Zedoariae longae seu majoris, a qua radix Zedoariae minoris seu rotundae Kaempferae rotundae virtute medica non differt. Intermixta interdum radix intus flava, radici Curcumae affinis, odoris gravis, radix *Zedoariae luteae* vocata.

□ **Radix Zingiberis.** *Ingwer.*

Zingiber officinale **Roscoe.** *Planta perennis Indiae orientalis.*

Radix (rhizoma) pollicem et ultra longa, tuberoso-nodosa, complanata, subpalmata, obtuse lobata, aut mammilans, epidermide teneriore e luteo pallide cinerea, inaequaliter rugosa et plicata, cortice flavo-fuscescente, substantia interna albida, dura, ponderosa, compacta, vasis setosis pertusa, odoris aromatici, subcamphoracei, saporis aromatici, acris, fauces vellicantis.

□ **Resina alba s. flava.** *Resina Pini. Weisses oder gelbes Harz. (Galipot.)*

Resina ex cortice variarum Pini specierum praecipue silvestris sponte fluens, in aëre condensata.

Resina flavescens, subdiaphana, tenax, manu mollescens, odoris subterebinthinacei, saporis balsamici.

□ **Resina Guajaci nativa.** *Guajakharz.*

Succus aëre induratus Guajaci officinalis Linn. vel sponte vel ex arbore vulnerata exsudans.

Resina in frustis difformibus majoribus, e fusco viridescens, versicolor, subdiaphana, friabilis, triturae albidae, pulvere lucis et aëris accessu tandem obscure viridescente, fracturae splendentis, e prasino in fuscum versicoloris, saepius fragminibus pellucidis luteis notatae, odoris debilis subbenzoici, saporis e dulci amari, acris. Igne facile liquatur, spargens odorem gratum balsamicum. In spiritu vini rectificatissimo exceptis quisquiliis tota solvitur. Cum gummi arabico et aqua trita aëri exposita caesio colore tingitur. Si resina Guajaci genuina in portione spiritus vini rectificatissimi relative parva solvitur, et aeque exigua aquae copia ex hac solutione praecipitata fuerit, liquor kali caustici hoc praecipitatum resolvit, solutione limpida, quae tur-

bida evadit, ulteriori quantitate liquoris alcalini affusa, si resina Guajaci colophonio adulterata fuerit.

□ Saccharum. *Zucker.*

Paratur e succo Sacchari officinarum Linn. plantae inter Tropicos frequenter cultae.

Hujus species sunt: *Saccharum albissimum* vulgo *Raffinade* dictum purissimum, et *Saccharum album* vulgo *Melis* dictum, minus purum.

□ Saccharum Lactis. *Milchzucker.*

Paratur e sero lactis dulci evaporatione et crystallisatione in Helvetia.

Crustae et glebae rotundae albae in superficie superiore crystallinae, prismata tetragona regularia, vel truncata, vel quadrangulari-acuminata exhibentes, albae, subdiaphanae, haud nitentes, crassae, durae, subtus planae, scalvae, inodorae, saporis terreo-saccharini. In aquae partibus decem ad duodecim saccharum lactis solvitur, in spiritu vini etiam bulliente non solubile. Sit a partibus caseosis liberum, hinc probe siccum, nec flavescens.

Sal Acetosellae vid. Oxalium.

Sal amarum crudum vid. Magnesia sulphurica cruda.

Sal ammoniacum crudum vid. Ammonium muriaticum crudum.

Sal mirabile Glauberi vid. Natrum sulphuricum crudum.

Sal Sodae crudum vid. Natrum carbonicum crudum.

Sal volatile Cornu Cervi vid. Ammonium carbon. pyro-oleosum venale.

Sanguis Draconis. *Drachenblut.*

Colligitur e variis arboribus Indiae orientalis, praesertim e Calamo Draco Willden.

Resina plerumque in globulis compressis, pollicaribus, foliis palmarum inclusis, et articulatim confertis, aut in bacillis pari integumento inclusis obvia, atro-purpurea, opaca, nitida, triturae obscure sanguineae, inodora, saporis exigui, dulciusculi, in aqua non, in spiritu vini tota fere solubilis.

□ **Sapo domesticus.** *Hausseife. Gemeine Seife.*

Paratur coquendo sevum cum liquore kali caustici et sub finem addendo sal commune.

Sit solidus, duriusculus, albo-cinereus, subpellucidus, solum sevum redolens, nec odore nec sapore rancido.

□ Sapo hispanicus albus. *Weisse spanische Seife.*

Paratur e natro et oleo olivarum in officinis chemicis Galliae australis et Hispaniae.

Compactus, mollis, lubricus, in sectione recenti paullo flavescens, in spiritu vini rectificato fere ex toto solubilis, in aqua solutione turbida spumosa. Sit odoris rancidi expers, semper siccus, et facile pulverandus. A sapone potius cum sevo quam oleo olivarum parato eo dignoscendus, quod solutio prioris aquosa ope plumbi acetici praecipitatione massam duram nec ductilem et ad consistentiam justam emplastri redigendam praebeat.

Scammonium Halepense. *Aleppisches Scammonium.*

Succus aëre condensatus Convolvuli Scammoniae Linn. plantae perennis orientalis praesertim in Syria frequentis.

Gummi-resina in frustis majoribus, difformibus, magis planis, 8 — 10 lineas crassis, majoribus discum referentibus, cinereis, levibus, porosis, opacis, impolitis, fractura parum nitentibus, aridis nec pinguibus, madefactis e virescenti lutescentibus, saporis primo non insignis, postea acris, amari, nauseosi. In aqua partim solvitur, solutione griseovirente, turbida, in spiritu vini rectificatissimo ma-

jori ex parte solvenda, solutione limpida fusca. Rejiciatur quae in placentis nigricantibus compactis prostat.

□ **Sebum ovillum.** *Hammeltalg.*

Ovis Aries Linn.

Non sit rancidum, et hinc cum kali hydroiodico contritum non flavescat.

Secale cornutum. *Mutterkorn.*

Semina monstrosa Secalis cerealis Linn. graminis in Europa frequenter culti. *

Grana cylindrica, plerumque curvata, saepe longitudinaliter rugosa, sex lineas ad pollicem et ultra longa, extus colore e violaceo et fusco griseo, intus farinosa, colore livido, sapore subacri.

□ **Semen Amomi.** *Englisch Gewürz.*

Myrtus Pimenta Linn. Arbor in India occidentali frequens.

Baccae immaturae siccatae, globosae, subrugosae, e fusco nigrae, biloculares, seminibus duobus, odoris et saporis aromatici illi caryophyllorum appropinquantis. Cave ne semina *Cocculi palmati* immixta sint, nucleum solitarium continentia.

Semen Anethi. *Dill.*

Anethum graveolens Linn. Planta annua in Europa meridionali indigena.

□ **Semen Anisi stellati.** *Sternanis.*

Illicii species in insulis Philippinis crescens.

Capsulae sex ad octo in orbem positae, compressiusculae, extus rugosae, intus laevigatae, uniloculares, margine superiore dehiscentes, semina solitaria, compressa, nitida, fusca continentes, odoris aromatici, grati, saporis paris subdulcis.

□ **Semen Anisi vulgaris.** *Anis.*

Pimpinella Anisum Linn. Planta annua orientalis in Europa culta.

□ **Semen Cannabis.** *Hanfsaamen.*

Cannabis sativa Linn. Planta annua orientalis, in Europa culta. *

□ **Semen Carvi.** *Kümmelsaamen.*

Carum Carvi Linn. Planta perennis Europae. *

Semen Cinae seu Santonici. *Zittwersaamen. Wurmsaamen.*

Artemisia Contra Linn. Fruticulus in Persia, Syria et Palaestina frequens.

Calyces nondum expansi, pro seminibus simplicibus male habiti, e luteo viriduli, imbricati, mixti squamis calycinis, pedunculis parvis, tenuibus, frustis ramulorum, foliis subulatis, seminibus denique parvis, oblongis, flavido-virentibus, vel canescentibus, odoris penetrantis nauseosi, illi Zedoariae radicis non alieni, saporis consimilis nauseosi, amari.

Ex Aleppo allatum optimum est; *barbarum* seu *africanum* ab *Artemisia glomerata (?)* multis pedunculis et petiolis mixtum, et sub nomine seminis Cinae *vermiculati* ex India orientali allatum, colore viridulo magis insigni, sed effetum, non adhibeatur. Serva vasis bene clausis.

Semen Colchici. *Zeitlosensaamen.*

Colchicum autumnale Linn. *

Semen Coriandri. *Koriandersaamen.*

Coriandrum sativum Linn. Planta annua Europae meridionalis, apud nos culta.

Semen Cumini. *Mutterkümmel, römischer Kümmel.*

Cuminum Cyminum Linn. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina oblonga, striata, e flavo cinerea, asperiuscula, odoris aromatici subnauseosi, saporis aromatici, acris, amari.

Semen Cydoniorum. *Quittenkerne.*

Cydonia vulgaris Persoon. *Arbor orientalis, in hortis et vinetis Europae culta.*

Semen Erucae. *Weisser Senf.*

Sinapis alba Linn. *Planta annua in agris Germaniae culta.* *

Semen Foeniculi. *Fenchelsaamen.*

Foeniculum vulgare Gaertneri. *Planta biennis Galliae meridionalis et Helvetiae, in Germania culta.*

Semen Foeni graeci. *Bockshornsaamen.*

Trigonella Foenum graecum Linn. *Planta annua Europae meridionalis.*

Semina subquadrangularia, compressa, rostello inflexo accumbente, dura, lutea, subinde in fuscum colorem vergentia, odoris Meliloti.

Semen Hyoscyami. *Bilsensaamen.*

Hyoscyamus niger Linn. *

Semen Lini. *Leinsaamen.*

Linum usitatissimum Linn. *

Semen Papaveris albi. *Mohnsaamen.*

Papaver somniferum Linn. Var. seminibus albis.

Semen Paeoniae. *Gichtrosensaamen.*

Paeonia officinalis Linn.

Semen Petroselini. *Petersiliensaamen.*

Apium Petroselinum Linn. Planta biennis Europae australis, apud nos hortensis.

Semen Phellandrii seu Foeniculi aquatici. *Wasserfenchel.*

Phellandrium aquaticum Linn. Planta perennis palustris Germaniae.

Ne ultra annum servetur.

††† **Semen Ricini vulgaris seu Cataputiae majoris.** *Ricinussaamen. Wunderbaumkörner. Grosse Purgirkörner.*

Ricinus communis Linn. Frutex Europae australis, Asiae et Africae, in India occidentali frequenter cultus, nobis hortensis.

Semina ovata, utrimque compressa, magnitudinis phaseoli minoris, sub cortice, tenui, fragili, nitido,

ex nigricante et albicante variegato, nucleum continentia album, unctuosum, saporis subacris.

Cave a seminibus rancidis. Ad exprimendum oleum caute excorticentur.

††† Semen Sabadilli. *Sabadillsaamen.*

Veratrum Sabadilla Retzii. Planta perennis Chinensis.

Semina elongata, teretia, acuta, e fusco nigra, saepissime capsula membranacea flavescenti inclusa, quarum ternae appositae, saporis acerrimi et nauseam moventis. Caute serva.

□ Semen Sinapeos. *Schwarzer Senfsaamen.*

Sinapis nigra Linn. Planta annua sativa Germaniae. *

††† Semen Stramonii. *Stechapfelsaamen.*

Datura Stramonium Linn.

Semen Tanaceti vid. Flores Tanaceti.

††† Semen Tiglii s. Grana Tiglii. *Purgir-Crotonkörner.*

Croton Tiglium Linn.

Semina ovata, altera facie magis convexa, utraque in angulum obtusum convergente, ita ut totum

semen quadrangulum appareat, seminibus Ricini paullo majora, laevia, sub cortice fragili, obscure griseo nucleum includentia in duas partes divisum, saporis acerrimi, caustici, nauseosi, faucibus diu inhaerentis.

Siliqua dulcis. *Johannisbrod.*

Ceratonia Siliqua Linn. Arbor in Oriente et Europa meridionali frequens.

Legumen coriaceum, compressum, spadiceum, longitudine 4 vel 5 pollicum et ultra, planum, pulpa sicca, dulci seminibus interjectis repletum.

Sperma Ceti vid. **Cetaceum.**

□ **Spiritus Vini gallici.** *Franzbranntwein.*

Paratur destillatione praesertim e vinis gallicis et vinaceis fermentationi vinosae subjectis.

Liquor flavescens, inflammabilis, odoris grati spirituosi, saporis paris, ponderis specifici 0,940 — 0,950.

Spiritus Vini gallici fortior. *Sprit.*

Liquor coloris expers, priori aequalis, sed plus alcoholis continens, ponderis specifici 0,875—0,885.

□ Spongia marina. *Meerschwamm. Badeschwamm.*

Spongia officinalis Linn. Zoophytum maris mediterranei et maris rubri.

□ Stibium sulphuratum nigrum crudum s. Antimonium crudum. *(Sulphuretum Stibii nigrum crudum.) Rohes schwarzes Schwefelspiessglanz. Rohes Spiessglanz.*

Eliquatur e mineris stibii sulphurati.

Prostat in placentis largis, vel conis truncatis, chalybeo-griseum, splendoris metallici, ponderis specifici 4,700, depingens, friabile, triturae nigrescentis, impolitae, fracturae inaequalis, texturae crystallino-radiatae, radiis fasciculatis, parallelis, latiusculis, calore tubuli ferruminatorii facile liquandum, primum flammam coeruleam acidum sulphurosum redolentem, dein vapores albos emittens, strenuo igne totum avolans. Scorias placentis vel conis inhaerentes omni nitore expertes abjice. Rationem, qua paululum arsenici sulphurati forsan admixti exploratur, vid. in Parte II[da] apud Sulphur Stibii aurantiacum.

Stibium venale. *Regulus Antimonii. Käufliches Spiessglanzmetall.*

E stibio sulphurato crudo addito ferro in officinis metallariis liquatione paratur.

Metallum e coerulescente album, fragile, lamellosum, nitens, in aëre ignitum fumo albo avolans, ponderis specifici 6,800. Tubo ferruminatorio in carbone exploratum odorem alliaceum non spargat, arsenicum, nec fumum rubentem plumbi nimiam copiam indicantem.

□ **Stipites Dulcamarae.** *Bittersüssstengel.*

Solanum Dulcamara Linn. Frutex scandens in silvaticis paludosisque locis Germaniae frequens. *

Colligendi sero autumno aut primo vere.

Strobuli Lupuli. *Hopfen.*

Humulus Lupulus femina Linn. Planta perennis in Germania spontanea et culta. *

Styrax liquidus. *Flüssiger Storax.*

Succus e ramis Liquidambaris styracifluae Linn. arboris Americae septentrionalis eliquatus.

Balsamum nativum spissum, superficie tactu aëris coloris fusci, intus fusco-cinereum, opacum, odoris grati subbenzoici, saporis balsamici, acris, in spiritu vini rectificatissimo calefacto exceptis quisquiliis solubile. Cave ne cum terebinthina inquinatum accipias, odore inprimis dignoscenda.

□ Succinum. *Bernstein.*

Bitumen in oris maris germanici et baltici, praesertim Borussiae frequens.

Frustula obtuso-angulata, pellucida, rarius opaca, impolita vel nitentia, coloris straminei, mellei, ac rufi, fragilia, ponderis specifici 1,060 — 1,101, dura, tamen contundendo fragilia, tritura flavido-alba, prunis injecta gratum odorem spargentia.

□ Succus Liquiritiae seu Glycyrrhizae crudus. *Roher Lakrizensaft.*

Paratur extractione radicis Glycyrrhizae glabrae Linn. in Europa meridionali.

Extractum compactum, in cylindros formatum, nigrum, fracturae conchoideae nitentis, saepissime foliis Lauri obtectum, saporis dulcis subacris, in aqua relictis quisquiliis solubile. Rejiciatur succus adustus et cupro inquinatus, quod subinde metallica forma immixtum est, et solo visu dignoscitur, aut si chemice succo unitum est, lamina ferri polita solutioni succi immissa cuprum separante, aut actione elementi simplicis galvanici exploratur. Qua medicamen non nisi *depuratus* (vid. Partem II[dam]) adhibeatur.

□ Sulphur citrinum seu in baculis. *Gelber oder Stangenschwefel.*

Eliquatur e mineris Sulphur continentibus in variis locis.

Materia elementaris inflammabilis, in cylindros formata, friabilis, ponderis specifici 1,990—2,000, colore citrino, odore suffocante et flamma coerulea comburens.

Cave a sulphure intensius colorato.

□ **Sulphur depuratum seu Flores Sulphuris.** *Gereinigter Schwefel oder Schwefelblumen.*

Praeparatum in officinis chemicis e sulphure aut e mineris sulphur continentibus sublimatione.

Pulvis subtilissimus, tactu laevis, inter digitos contritus stridens, coloris citrini, igne flamma coerulea et odore suffocante comburens sine residuo. Acido sulphurico adhaerente plerumque inquinatus est. Cave ne sulphur sit arsenico aut selenio inquinatum, quod proditur colore ad aurantiacum vergente, odore sulphuris in prunis comburentis cum odore alliaceo vel raphani commixto, et ulterius lege artis exploratur.

□ **Tartarus crudus.** *(Bitartras kalicus cum Aqua crudus.) Roher Weinstein.*

Obtinetur e doliis, quae vino conservando inserviunt, praesertim in Gallia.

Sal compactus crustaceus, crystallinus, albidus aut rubens *(weisser und rother Weinstein)*, aci-

dus, combustione carbonem porosum alkalinum relinquens.

□ **Tartarus depuratus seu Crystalli Tartari.** *(Bitartras kalicus cum Aqua.) Gereinigter Weinstein. Weinsteinkrystalle.*

Paratur in officinis chemicis depuratione tartari crudi in Europa meridionali, praesertim in Gallia meridionali.

Sal compactus, in crystallis duris, albis, saporis acidi terrei, temperatura media in 170—180 partibus aquae, in bullientis vero partibus 26—28 solubilis. Cave ne sit cupro inquinatus, colore virescente conspicuo, et eo quod solutio aquosa crystallorum tartari affusa aqua hydrosulphurata praecipitatum fuscum praebeat.

□ **Terebinthina communis.** *Gemeiner Terpenthin.*

*Succus e trunco sauciato **Pini silvestris** Linn. et **Pini Pinaster** Lambert stillans.*

Balsamum nativum, spissiusculum, consistentiae mellis, turbidum, flavido-album, e partibus duabus constitutum, altera leviore, fluidiore, diaphana, intensius tincta, altera albidiore, opaca, densiore, granulosa, odoris fortis, ingrati, saporis amari, acris, nauseosi.

□ **Terebinthina veneta seu laricina.** *Venetianischer Terpenthin.*

Succus e Pino Larice Linn. arbore europaea stillans.

Balsamum nativum spissiusculum, tenax, in fila ductile, pellucidum, flavescens, odoris peculiaris haud ingrati subcitrini, saporis subamari et acris, in spiritu vini rectificatissimo solubile.

Terra japonica vid. **Catechu.**

Turiones Pini. *Fichtensprossen.*

Pinus silvestris Linn. *

Gemmae primo vere colligendae.

Vanilla. *Vanille.*

Vanilla aromatica Swartzii. Planta parasitica scandens novae Hispaniae.

Capsulae immaturae, compressae longitudine sex fere pollicum, crassitie calami scriptorii, striatae, coloris e fusco atri, saepe crystallulis acicularibus albis nitidis acidi benzoici inspersae, seminibus pulpam pinguem rufescentem referentibus fartae, odoris balsamici benzoici, saporis aromatici grati.

Vinum. *Wein.*

Succus baccarum Vitis viniferae Linn. fruticis in vineis Europae calidioris culti, post

fermentationem vinosam rite peractam satis diu in doliis asservatus.

In usum pharmaceuticum praecipue veniunt:

Vinum gallicum album. *Weisser Franzwein.*

Vinum gallicum rubrum. *Rother Franzwein.*

Vinum hispanicum malacense. *Malagawein.*

Vinum hispanicum Xeres dictum. *Xereswein.*

Vinum rhenanum. *Rheinwein.*

Viride Aeris vid. **Aerugo.**

Viscum album. *Mistel.*

Viscum album Linn. Fruticulus parasiticus Quercus, Fagi, Tiliae, Pini aliarumque arborum. *

Ramuli juniores, dichotomi, ad exortum annulato-articulati, epidermide e viridi flavescente, una cum foliis oppositis, oblongis, coriaceis, e flavo viridibus, odoris mucidi subnarcotici, saporis glutinosi amariusculi.

Primo vere ante florescentiam collige, leniter sicca, et in vasis probe clausis serva.

□ ††† **Vitriolum album. Zincum sulphuricum venale.** *(Sulphas zincicus venalis cum Aqua.) Weisser Vitriol. Käufliches schwefelsaures Zink.*

Paratur in officinis metallariis e mineris zinci.

Obvium in glebis difformibus, albis, opacis, minutim crystallinis, saccharo albo similibus, saporis adstringentis metallici, in pari pondere aquae solubile.

Plerumque ferro et cupro inquinatum est, quod liquore kali borussici et ammonii caustici dignoscitur. Eligatur albissimum a vitriolo martis immixto non viridescens aut rubiginosum, et rejiciatur quod cupro inquinatum est.

Vitriolum coeruleum vid. **Cuprum sulphuricum venale.**

□ **Zincum.** *Zink.*

Paratur e mineris zinci carbonibus mixtis destillatione in India orientali, Anglia, Silesia et Hercynia.

Metallum ex albido coerulescens, fractura lamellosum, fragile, temperatura aquae bullientis malleo obediens, ponderis specifici 6,8 — 7,2, volatile. Ignitum sub aëris accessu cum flamma lucidissima fla-

vescente-viridi deflagrat, in oxydum calens citrinum, refrigeratione album mutatum, quod ex parte sub forma flocculorum levissimorum avolat. *Indicum* ut purissimum solummodo ad usum pharmaceuticum adhibendum.

MATERIA PHARMACEUTICA.

PARS SECUNDA,

COMPLECTENS PRAEPARATA OFFICINARUM.

□ Acetum aromaticum.

(Loco Aceti bezoardici et prophylactici.)

Gewürzhafter Essig.

Rc. Herbae Absinthii,
Menthae piperitae,
Roris marini,
Salviae, singulorum Uncias duas,
Caryophyllorum,
Radicis Zedoariae, singulorum Unciam dimidiam,
Aceti vini Libras octo.

Post digestionem leni calore per quatriduum in vase vitreo vesica perforata clauso exprime fortiter, et colato admisce

Spiritus Roris marini Uncias quatuor.

Serva in vase vitreo clauso.

Liquidum sit pellucens, ex rubro lucide fuscum, odoris aromatico-acidi, saporis paris.

Acetum camphoratum.
Kampheressig.

Rc. Camphorae pulveratae Drachmam dimidiam,
Gummi arabici Drachmam.

Misce in mortario lapideo sensim sensimque addendo
Aceti diluti Uncias quinque
ad solutionem.

Paretur ex tempore.

Acetum Colchici.
Zeitlosenessig.

Rc. Radicis Colchici recentis Uncias quatuor,
Aceti vini Libras quatuor.

Radicem minute concisam, aceto infusam, macera per septimanam in vitro vesica clauso, subinde agitando. Liquori a sedimento per linteum defuso adde
Spiritus vini rectificati Uncias duas.

Filtra et in lagena vitrea obturata serva.

Liquidum sit pellucens, dilute flavum, odoris acidi, saporis similis simulque amari.

□ Acetum concentratum.
(Loco Acidi acetici.)
Concentrirter Essig.

Rc. Plumbi acetici depurati triti Libras duas
cum Unciis octo.

Ingere cucurbitae vitreae arenae balneo immissae satis amplae, ut illa his et reliquis addendis non ultra dimidium voluminis sui impleatur. Collum et fornicem cucurbitae muni aliquot stratis chartae luto farinaceo cum pulvere carbonis mixto obtectis. Affunde miscelam ex

Acidi sulphurici concentrati Unciis novem,

Aquae communis Unciis quatuor cum dimidia.

Junge ope luti farinacei cucurbitae alembicum pari modo stratis chartaceis luto farinaceo cum pulvere carbonum mixto illitis obtectum, et adapta ope luti farinacei excipulum amplum. Tum luto siccato igne primum leni, demum ad lenem ebullitionem augendo, ac excipulum semper refrigerando acetum ad siccitatem usque massae residuae destilla. Acidum obtentum ex retorta super uncia Mangani hyperoxydati nativi pulverati et drachmis duabus Plumbi acetici destillatione ad siccum rectifica. Acidum serva in vitro epistomio vitreo bene clauso.

Sit hyalinum, odoris aceti penetrantis non empyreumatici aut sulphurosi, saporis valde acidi acris, ponderis specifici 1,055 — 1,060, calore prorsus avolans, et ejus partes duae una Kali carbonici sicci puri saturentur. Addito liquore Barytae nitricae nullum Acidum sulphuricum, nec affuso liquore Argenti nitrici Acidum muriaticum, aut instillato liquore Ammonii hydrosulphurati Plumbum prodat.

□ Acetum dilutum.

(Loco Aceti destillati.)

Verdünnter Essig.

Rc. Aceti concentrati Partem unam,
Aquae destillatae Partes septem.

Invicem misce.

Sit ponderis specifici 1,012—1,013 et Uncia una a Drachma dimidia Kali carbonici sicci puri saturetur, ceterum priori in omnibus simile, sed multo debilioris odoris et saporis.

Nota. *Quum medicus Acetum destillatum praescribit, hoc Acetum dilutum a pharmacopola dispensetur.*

□ Acetum Rubi idaei.

Himbeeressig.

Rc. Baccarum recentium Rubi idaei Libram,
Aceti vini Libras duas.

Sepone in vase vitreo obturato per mensem. Absque expressione colato aceto addatur

Sacchari albi Libra.

Ebulliat semel in lebete stanneo, dein coletur, et refrigeratum in lagenis vitreis obturatis servetur.

Sit limpidum, coloris laete rubri.

□ ††† Acetum saturninum.

(Liquor Acetatis triplumbici.)
Loco Extracti Saturni.
Bleiessig. Bleiextract.

Rc. Plumbi acetici depurati Uncias sex.
Misce exacte cum
Lithargyri laevigati Unciis tribus.
In lagenula vitrea adde
Aquae destillatae Uncias viginti et unam,
et repone, vas subinde agitando, donec color ruber sedimenti plane evanuerit. Tum filtra et bene serva.

Sit liquor fere hyalinus, ponderis specifici 1,230—1,240. Colorem chartae exploratoriae coeruleae non permutet, et solutionem Gummi arabici turbet.

Acetum Scillae seu scilliticum.

Meerzwiebelessig.

Rc. Radicis Scillae siccatae minutim concisae
Uncias duas,
Aceti vini Libras duas.
Macera leni calore in lagena vitrea clausa, subinde agitando, per octiduum. Acetum colando defunde, et illi adde
Spiritus vini rectificatissimi Unciam unam
cum dimidia.

Post subsidentiam liquor filtretur, et in lagena vitrea clausa servetur.

Liquidum sit pellucidum, fusco-rubrum, odoris acidi et acris, saporis similis simul peramari.

Acidum benzoicum via humida paratum.

Benzoësäure.

Rc. Benzoës pulveratae Uncias viginti quatuor,
Natri carbonici crudi triti Uncias novem.

Misce cum aquae communis quantitate sufficiente ad consistentiam pultis. Digere per horas viginti quatuor, massam subinde agitando, et aquam evaporatione diminutam restituendo, tum dilue

Aquae communis Libris octodecim,

et decoque ita, ut post colationem supersint Librae duodecim. Liquori huic admisce

Acidi sulphurici diluti quantum sufficit

ad saturationem natri carbonici excedentis. Resinam inde elicitam filtratione separa, et liquori evaporatione ad sex Libras reducto adhuc calenti iterum adde

Acidi sulphurici diluti tantum

ut copia totius acidi, tam ad resinae quam ad acidi benzoici separationem adhibiti sit Unciarum viginti qua-

tuor. Crystalli post repositionem vasis et refrigerationem natae colando colligantur, tum liquor evaporet, ut aliae crystalli subsidant, et operatio repetatur, quamdiu crystalli enascuntur. Crystallos aciculares collectas aqua frigida sedulo ablue, sicca et serva.

Sit pulvis albus, parum flavescens, crystallinus, levis, odoris proprii debilis, saporis fervidi, ad aërem constans. Calore 14° R. in ducentis partibus aquae, et in duabus cum dimidia spiritus vini alcoholisati, et in viginti quatuor bullientis aquae solvatur. Igne prorsus avolet forma vaporis albi, sternutationem ac tussim moventis.

Acidum benzoicum per sublimationem.

(Flores Benzoës.)

Benzoëblumen.

Rc. Benzoës in pulverem grossum tritae quantum vis.

In ollam figulinam immitte, cujus orificio conum chartaceum impone, et in balneo arenae seu super prunas leni calore, quo resina fluat, flores Benzoës per sublimationem in parietibus coni sese condensantes collige. Conum chartaceum saepius muta, ut eximantur flores, et sublimando perge, donec acidum excussum fuscescere incipiat. Flores collectos in vitro serva.

Sint crystalli aciculares vel squamosae, coloris argentei, sericeo-nitentes, odoris grati non empyreumatici, ceterum cum Acido benzoico via humida parato convenientes.

Nota. *Si medicus Flores Benzoës aut Acidum benzoicum per sublimationem paratum praescribat, hoc praeparatum dispensetur.*

Acidum boracicum,

(Sal sedativum Hombergi.)

Boraxsäure.

Rc. Boracis Libram.

Solve in

Aquae destillatae bullientis Libris quatuor.

Solutioni fervidae filtratae adde per vices sub continua agitatione

Acidum sulphuricum depuratum

donec solutio leviter acescat. Sepone liquorem, ut formentur in loco frigido crystalli leves et squamosae. Liquidum separatum evaporet, usque dum pellicula nascatur, ac crystallos per refrigerium excute, idque repete, donec lixivium crystallos lamellares non amplius demittat. Acidum boracicum sic obtentum aqua destillata frigida probe ablutum exsicca.

Sint crystalli lamellares, albae, sericeo-nitentes, siccae, subpellucidae, saporis vix ullius, in partibus viginti aquae et in spiritu vini rectificatissimo solubiles, hujusque flammam colore viridi tingentes.

□ ††† Acidum hydrocyanicum seu borussicum.

Blausäure. Preussische Säure.

Rc. Kali borussici venalis a quisquiliis liberi Unciam.

Immitte in retortam vitream, tubulatam, minorem, cujus rostrum per tubum vitreum rectangulum ope epistomii suberei cum vitro alto cylindrico, quod in mixturam refrigerantem, vel glaciem contusam impositum est, communicat. Vitro cylindrico ingere

Spiritus vini rectificatissimi Uncias quatuor,

juncturisque luto e farina et vesica clausis affunde per tubulum retortae

Acidi sulphurici concentrati rectificati Unciam dimidiam

jam antea dilutam aquae destillatae eodem pondere. Fiat destillatio leni calore ex balneo arenae, quamdiu liquidum in striis cohaerentibus oleoso-aethereis in cylindrum expediatur, et ita ut residuum humidiusculum nec prorsus siccum remaneat. Destillatione peracta et vasis refrigeratis liquori obtento adde

Spiritus vini rectificatissimi tantum

ut pondus totius liquidi sit Unciarum sex. Tum in lagenulas Unciae dimidiae capaces effunde, quae bene obturatae et charta denigrata obtectae quam maxime caute serventur.

Sit limpidum, incolor, odoris spirituosi et simul amygdalarum amararum, affusa aqua hydrosulphurata non mutetur, et grana centum cum liquoris kali caustici, tum liquoris ferri sulphurici accessu aëris oxydati, denique acidi muriatici quantitate sufficiente mixta coerulei berolinensis bene exsiccati praebeant grana quatuor.

††† Acidum muriaticum concentratum.

(Spiritus Salis fumans.)

Concentrirte Salzsäure. (Rauchender Salzgeist.)

Rc. Salis communis decrepitati Libras sex.

Retortae satis amplae non ultra duas tertias partes ab omni miscela destillanda replendae immissis affunde

Acidi sulphurici crudi concentrati (anglici)
Libras quinque antea dilutas
Aquae communis Libra cum dimidia,

ac collum retortae aquae communis Unciis aliquot abluendo purga. Retortam balneo arenae immitte, excipulum tubulatum ita adpone, ut per tubulum cum lagenis duabus Woulfianis inter se eadem ratione conjunctis communicet, quarum prior aquae destillatae Libras tres, quae tantum duas tertias illius partes occupent, posterior libram unam aquae destillatae contineat. Juncturas ac tubulos bene claude fasciis linteis luto e gypso usto et albumine ovorum illinitis.

Luto siccato primum leni igne, dum gas erumpens vividius aestuet, sub finem sensim augendo destilla, donec massa in retorta perfecte sicca fuerit, lagenis Woulfianis durante destillatione bene refrigeratis. Acidum in excipulo receptum concentratissimum, si forsan ferro inquinatum sit, ad parandum ferrum muriaticum adhibe. Acidum in lagena priori Woulfiana qua *Acidum muriaticum concentratum* seorsim serva. Aqua secundae lagenae Woulfianae, quae plerumque paullulum tantum Acidi muriatici continet, ad parandum Acidum dilutum adhiberi potest.

Sit limpidum, coloris expers, vapores acidos pungentes exhalans, ponderis specifici 1,145—1,150. Cum aqua destillata dilutum neque addito liquore barytae nitricae turbetur, nec cum liquore kàli borussici primis minutis coerulescat.

□ Acidum muriaticum dilutum.

Verdünnte Salzsäure.

Rc. Acidi muriatici concentrati Partem unam.

Misce cum

Aquae destillatae Partibus tribus,

vel quantum sufficit, ut pondus specificum sit 1,030. Serva in vase vitreo clauso.

Nota. *Si medicus simpliciter Acidum muriaticum praescribat, hoc dilutum dispensetur.*

††† Acidum nitricum purum concentratum.

(Spiritus Nitri fumans.)

Concentrirte reine Salpetersäure.

Rc. Kali nitrici depurati pulverati Libras duas.

Retortae vitreae, inde semi-replendae, immissis ope infundibuli rostro longo incurvo instructi, caute et retortam subinde agitando affunde sensim

Acidi sulphurici crudi anglici Uncias viginti tres

antea

Aquae communis Unciis tribus

diluti, et refrigerati.

Excipulo amplo retortae balneo arenae immissae adposito, ac tubulo vitreo tenui exitum aëris ex excipulo concedente commissurae inserto, eam luto e bolo alba et vernice lini confecto linteo illito bene claude. Luto siccato fiat destillatio, excipulo, quantum fieri potest, refrigerando, igne primum remissiori et pedetentim aucto, donec sub fine fundus balnei candeat, ad siccum usque. Acidum obtentum in vitro epistomio vitreo munito ac emplastro citrino circumdando loco umbroso serva.

Sit liquor pellucidus, aurantiacus, vapores pariter tinctos, suffocantes eructans, ponderis specifici 1,440—1,460, nullo residuo relicto calore avolans. Cum decuplo aquae destillatae dilu-

tus a liquore barytae nitricae ne turbetur, a liquore argenti nitrici tantum leviter opalinus evadat, et affusa aqua hydrosulphurata colorem non ducat.

□ Acidum nitricum.

Salpetersäure.

Rc. Kali nitrici depurati pulverati Libras quatuor.

In retortam vitream satis amplam immissis affunde

Acidi sulphurici crudi anglici Libras duas cum dimidia,

Aquae communis parte dimidia

antea dilutas. Applicetur excipulum amplum cui

Aquae destillatae Librae duae cum dimidia

antea sint immissae. Junctura tubulo securitatis antea dicto praedita luto farinaceo bene clausa fiat destillatio ex arena ad siccum, cautelis in paratione acidi nitrici concentrati notatis.

Acido elicito instilla

Liquorem Argenti nitrici

quamdiu inde fit turbidum, cavendo ne nimia copia liquoris argenti nitrici addatur. Sepone per aliquot dies. Tum liquorem limpidum decantha, et e retorta, fere ad siccum destillando, rectifica. In vasis epistomio vitreo clausis serva.

Sit limpidum, incolor, odoris proprii ingrati, ponderis specifici 1,195—1,205, a chloro et acido sulphurico liberum, quod liquore argenti nitrici et barytae nitricae explorandum est.

Acidum phosphoricum concentratum seu glaciale.

Concentrirte Phosphorsäure.

Rc. Ossium quantum vis.

Ure ad albedinem et horum subtilissime pulveratorum

Libris duabus cum dimidia

adde

Aquae communis Libras decem,

et affunde sensim continue agitando

Acidi sulphurici crudi anglici Libras duas.

Miscela reponatur per viginti quatuor horas subinde agitando cum bacillo vitreo vel porcellaneo. Tum dilue massam additis denuo

Aquae communis Libris quindecim.

Ebulliant leniter in lebete stanneo sub continua agitatione per horam vel ultra. Liquorem ope preli separatum, colatum, et evaporatione ad syrupi spissitudinem redactum cum

Spiritus vini rectificatissimi duplo

misce, filtra, et residuum in filtro cum spiritu vini rectificatissimo elue. Tum liquidum obtentum retortae immitte, spiritum vini ope destillationis leni igne abstrahe, et residuum liquidum e retorta exemtum in vase puro argenteo igne fortiori urge, donec instar olei tranquille fluat, et in laminam cupri oleo provinciali illitam effunde. Si a partibus carbonaceis immixtis, quod plerumque accidit, post refrigerationem fuscum appareat,

iterum in pauca aqua destillata solve, filtra, et iterum funde, quod imo secunda vice repetendum est. Acidum rigidum calidum adhuc vitro epistomio largo munito cito immitte, et serva.

Sit pellucidum, incolor, glaciei speciem aliquantum referens, in aëre deliquescens, saporis intense acidi puri sed non caustici, in aequa parte aquae et in quatuor partibus spiritus vini rectificatissimi prorsus solvendum, solutione in decem partibus aquae limpida et neque cum liquore barytae nitricae neque ammonii oxalici ullum sedimentum demittente.

□ Acidum phosphoricum dilutum.

Verdünnte Phosphorsäure.

Rc. Acidi phosphorici concentrati Partem unam,
Aquae destillatae Partes septem.
Misce et serva.

Sit limpidum, coloris expers, inodorum, saporis acidi haud ingrati, ponderis specifici 1,080—1,090, ceterum cum reagentibus eadem ratione uti A. concentratum se exhibens.

Nota. *Si medicus A. phosphoricum simpliciter praescribit, hoc dilutum dispensetur.*

Acidum pyrolignosum. A. pyrolignosum rectificatum.

Rectificirte Holzessigsäure.

Acidum pyrolignosum crudum retortae vitreae immit-

tatur, et leni igne destillet, donec tres quadrantes eliciti fuerint. In vase vitreo bene clauso destillatum serva.

Sit limpidum, et colore dilutiore quam Acidum pyrolignosum crudum.

Nota. *Si medicus non expressis verbis Acidum pyrolignosum crudum sed simpliciter Acidum pyrolignosum praescribit, Acidum pyrolignosum rectificatum dispensetur. Idem quoque valet de omnibus aliis medicamentis, quae in hac Pharmacopoea in duplici forma qua cruda et depurata prostant, ita ut a pharmacopola in omnibus casibus medicamentum depuratum dispensetur, nisi medicamentum crudum expressis verbis praescriptum fuerit.*

Acidum succinicum. A. succinicum depuratum.

(Sal Succini volatile depuratum.)
Gereinigte Bernsteinsäure.

Acidum succinicum crudum aqua destillata calida solve. Liquor per chartam bibulam filtretur, et post evaporationem sufficientem ad crystallisationem seponatur, quod repetatur, quam diu crystalli non nimis flavescentes exinde oriantur.

Sint crystalli tabulares, coacervatae, albae vix flavescentes, in spiritu vini rectificatissimo solubiles, in igne plane avolantes.

Nota. *Si medicus non expressis verbis Acidum succinicum crudum, sed simpliciter A. succinicum vel Sal Succini praescribit, hoc depuratum dispensetur.*

Acidum sulphuricum. A. sulphuricum depuratum seu rectificatum.

(Oleum Vitrioli depuratum seu rectificatum.)

Gereinigte oder rectificirte Schwefelsäure.

Acidum sulphuricum crudum anglicum e retorta vitrea arenae balneo immissa additis platini aliquot filis aut laminis prudenter rectifica, rejecta sedecima parte primo prodeunte. Acidum obtentum in vasis vitreis, epistomio vitreo bene clausis, serva.

Coloris sit expers, ponderis specifici 1,840—1,848, sine residuo calore diffugiat. Cum aquae destillatae partibus duodecim dilutum ac liquore ammonii caustici saturatum clarum persistat, et addito tum liquore ammonii hydrosulphurati a metallis liberum inveniatur.

□ Acidum sulphuricum dilutum.

(Spiritus Vitrioli.)

Verdünnte Schwefelsäure.

Rc. Acidi sulphurici rectificati Partem unam.

Instillando misce cum

Aquae destillatae Partibus quinque.

Serva in vitro clauso.

Sit limpidum, coloris expers, ponderis specifici 1,110—1,120, ceterum cum reagentibus uti prius se exhibeat.

Acidum tartaricum.

(Sal essentiale Tartari.)

Weinsteinsäure.

Rc. Cretae albae, bene elotae, siccatae Uncias sedecim,

Aquae communis Libras viginti.

Ebulliant in lebete stanneo, sensim immitte

Tartari depurati subtilissime pulverati Libras quinque

circiter, vel quantum requiritur ad perfectam saturationem. Vas ab igne remotum seponatur, ut calcaria tartarica subsidat. Liquori decanthato, kali tartaricum continenti, admisce

Calcariam muriaticam

in Aquae destillatae quantitate sufficiente solutam, quamdiu praecipitatum enascitur. Calcariam tartaricam inde adhuc obtentam priori adde, aqua calida saepius ablue, et sicca. Partibus hujus sedecim, quintuplo Aquae destillatae calidae dilutis adde

Acidi sulphurici crudi Partes septem

(pro praescripta quantitate Tartari depurati Unciae circiter triginta duo Acidi sulphurici requiruntur) aquae destillatae duplo antea dilutas. Bacillo vitreo saepius agitando per horas viginti quatuor digerantur. Liquorem acidum decantha, residuum exprime, et aqua destillata ablue, donec plane insipida defluat. Liquores acidi commixti et colati post repositionem per aliquot horas leni igne in vase vitreo aut porcellaneo ad syrupi tenuioris spissitudinem evaporent, tum per horas viginti quatuor sepositi denuo colentur, et lenta evaporatione in crystallos redigantur, quae operatio repetatur, quamdiu crystalli sat albae prodeunt. Crystalli omnes collectae et bene siccatae serventur.

Referat prismata majora, hexagona, lateribus duobus oppositis, latioribus, planis binis convergentibus acuminata, et quatuor angustioribus, vel, ut plerumque, crystalla minora, tabulaeformia, rectangulari-quadrangularia, lateribus acuminatis, coalita, coloris expertia, diaphana, dura, in atmosphaera persistentia, saporis peracidi. In partibus duabus aquae destillatae, etiam, quamquam aegrius, in spiritu vini rectificatissimo sine residuo sit solubile.

□ Aether aceticus.

(Naphtha Aceti.)

Essigäther.

Rc. Plumbi acetici Uncias sedecim.

Ruditer tritum immitte retortae vitreae tubulatae amplae balneo arenae impositae. Dein affunde miscelam ex

Spiritus vini alcoholisati et
Acidi sulphurici crudi utriusque Unciis octo refrigeratam. Excipulo amplo ope luti farinosi et vesicarum adaptato digere calore 30 usque 40 graduum per viginti quatuor horas, et dein igne mox ad ebullitionem aucto leni ebullitione aetherem destilla, excipulum continuo glacie contusa aut aqua frigida refrigerando, donec aether destillatus volumine alcoholi adhibito par sit. Liquori obtento adde relate ad suum pondus sextam partem aquae calcariae, et post conquassationem in vitro clauso aetherem ope infundibuli secretorii separatum simili modo uti prius destilla. Serva in vitris minoribus epistomiis vitreis clausis loco frigido.

Sit ab omni acido liber, ponderis specifici 0,880—0,890, et in aquae destillatae minore quantitate quam octo partibus non plane solvatur.

□ Aether sulphuricus.

(Naphtha Vitrioli.)

Schwefeläther.

Rc. Acidi sulphurici crudi anglici
Spiritus vini alcoholisati singulorum Libras tres.

Spiritui vini in retorta tubulata successive et caute admisce acidum sulphuricum, vas interea saepissime agitando, ut liquor sub immissione in gyrum moveatur. Adaptato excipulo satis capaci, durante destillatione

identidem aqua frigida vel nive refrigerando, et juncturis cum luto farinoso et vesicis clausis, instituatur destillatio ex arenae balneo cum liquidi ebullitione, et destillent Libra una et dimidia ad Libras duas.

Residuo refrigerato affunde

Spiritus vini alcoholisati Libram cum dimidia.

Fiat nova destillatio, donec destillatum spiritus affusi quantitatem aequet, quae operatio cum pari spiritus vini quantitate bis terve potest repeti. Liquoris aetherei his destillationibus obtenti Partibus duodecim addantur

Aquae communis Partes tres,

Liquoris Kali caustici Pars una,

et conquassentur in vase clauso. Aether supernatans a reliquo fluido ope infundibuli secretorii separetur et super carbonum pulvere et magnesiae ustae Uncia dimidia calore blandissimo rectificetur, ita ut circiter quarta Pars remaneat. In vasis vitreis bene clausis loco frigido destillatum serva.

Sit coloris expers, et acido sulphuroso aut sulphurico oleoque vini plane liber. Primum odore et aqua hydrosulphurata, qua liquidum turbatur, acidum sulphuricum liquore barytae nitricae, utrumque charta coerulea exploratoria dignoscitur. Oleum vini, postquam aether avolavit, in vase remanet, etiamque sapore acriori et minus refrigerante aetheris sese prodit. Pondus specificum 0,730 aether non excedat, et si cum decem partibus aquae miscetur, pauxillum aetheris adhuc supernatet.

□ Alumen ustum.

(Sulphas aluminico - kalicus.)

Gebrannter Alaun.

Alumen crudum uratur in crucibulo amplo aut in olla fictili non vitreata satis capaci perpetua sub agitatione cum spathula porcellanea, donec vapores humidos non amplius emittat, et in massam levem et spongiosam abierit. Loco sicco servetur.

Sit candidum, leve, rarum, friabile, chartam exploratoriam coeruleam madefactam colore obscure rubro tingat, et lente in aqua solvatur sine residuo.

□ Ammoniacum depuratum.

Gereinigtes Ammoniakgummi.

Ammoniacum electum per tempestatem gelidam terendo redigatur in pulverem ab adhaerentibus quisquiliis ope cribri setacei separandum. Loco non nimis calido charta involutum serva.

Eodem modo paretur:

□ Asa foetida depurata.

Gereinigter Asand.

□ Galbanum depuratum.

Gereinigtes Mutterharz.

□ Ammonium carbonicum. A. carbonicum depuratum.

(Alkali volatile depuratum. Carbonas ammonicus depuratus.)

Gereinigtes kohlensaures Ammonium.

Ammonium carbonicum crudum in retorta vitrea collo amplo instructa adaptato excipulo bene refrigerato sublimetur. Tum exemtum in vase bene obturato serva.

Sit hac operatione ob omni plumbo, quod ammonio carbonico crudo forsan admixtum fuerit, liberatum, et characteribus insigne sit, qui jam in Parte prima expositi sunt.

□ Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

(Sal volatile Cornu Cervi.)

Empyreumatisch-öliges kohlensaures Ammonium.

Si Ammonium carbonicum pyro-oleosum venale sincerum non prostat, sic paretur.

Rc. Ammonii carbonici Uncias octo,
Olei animalis aetherei Drachmas duas.

Probe mixta sublimentur e retorta amplo collo instructa in excipulum aquae frigidae immersum, eaque perpetuo refrigeratum. Ex excipulo exemtum serva in vitro bene clauso.

Sit characteribus insigne jam in Parte prima designatis

□ Ammonium muriaticum. A. muriaticum depuratum.

(Sal ammoniacum depuratum. Hydrochloras ammonicus depuratus.)

Gereinigtes salzsaures Ammonium. Gereinigter Salmiak.

Si venale justa puritate non gaudeat, sequenti modo depuretur:

Ammonium muriaticum crudum

solvatur in aquae fervidae sesqui pondere suo. Solutum fervidum adhuc filtretur, et refrigeratione in crystallos redigatur. Crystalli siccatae serventur.

Ammonium muriaticum martiatum.

(Flores Salis ammoniaci martiales. Hydrochloras ammonicus cum Sesquichloreto Ferri.)

Eisenhaltiges salzsaures Ammonium. Eisenhaltiger Salmiak.

Rc. Ammonii muriatici puri Uncias septem,
Ferri muriatici oxydati Unciam dimidiam.

Solve in aquae destillatae Libris duabus. Lixivium filtratum vasi porcellaneo infusum evaporet usque eo ut siccum sit, sub fine agitando cum spathula porcellanea, et sal sic obtentum in vase vitreo probe clauso servetur.

Sit pulvis subcrystallinus, aurantiacus, odoris debilis, illi acidi muriatici quodammodo similis, saporis ex acri austeri, aëris attactu humescens, in tribus partibus aquae destillatae temperatura media, et una parte bullientis solubilis, bacillo liquore ammonii caustici humectato admoto nullos emittens vapores albos.

††† Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

Concentrirtes Bittermandelwasser.

Rc. Amygdalarum amararum Libras tres.

Contusas ac frigide exprimendo ab oleo liberatas, dein per cribrum trajectas retortae vitreae immitte et affunde:

Spiritus vini rectificati Uncias quinque,

Aquae communis Libras sex.

Abstrahantur Librae tres, quae loco frigido in lagenis vitreis charta nigra obductis bene obturatis caute serventur.

Parum lactescens, odoris amygdalarum amararum concentrati, saporis paris. Instillatis liquoris ferri sulphurici aëris accessu oxydati, et paucis guttis liquoris kali caustici, denique acidi muriatici, coerulea fiat, et coeruleum Berolinense deponat.

□ Aqua Amygdalarum amararum diluta.

(Loco Aquae Cerasorum.)

Verdünntes Bittermandelwasser.

Rc. Amygdalarum amararum Libras duas.

Bene contusis ac frigide exprimendo ab oleo liberatis dein per cribrum trajectis, et vesicae destillatoriae immissis affunde aquae fontanae quantum sufficit. Destillando elice Libras viginti quatuor.

Non sit lactescens, et debilem amygdalarum amararum odorem spiret.

□ Aqua aromatica.

(Loco Aquae cephalicae et Aquae Embryonum.)

Gewürzhaftes Wasser.

Rc. Herbae Salviae Uncias octo,
Menthae piperitae,
Roris marini,
Florum Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,
Cassiae,
Seminis Foeniculi singulorum Uncias duas.

Concisis et contusis affundantur

Spiritus vini rectificati Librae sex,
Aquae fontanae Librae viginti.

Macera per horas viginti quatuor, et destillando elice libras duodecim. Serva in vasis bene obturatis.

□ Aqua Calcariae.

(Aqua Calcis.)

Kalkwasser.

Rc. Calcariae purae nuper ustae Libram semis,
Aquae pluvialis Libras octo.

Calcaria sensim aquae interea agitandae addatur, et in vase bene clauso seponantur. Cum autem ex praescripto medici datur, limpida decanthetur, et in vitro bene clauso dispensetur. Vitrum calcariam continens nova aqua repleatur, quod repeti potest, donec calcaria solutione in aqua exhausta sit, et quamdiu aqua decanthata characteribus statim notandis gaudet.

Sit hyalina, saporis alcalini et siccantis, et chartam exploratoriam luteam colore e rubro fuscescente valde tingat.

Aqua carbonata.

(Aqua Acidi carbonici. Aqua aërata.)

Kohlengesäuertes Wasser.

Immitte aquam fontanam purissimam in apparatum vitreum sic dictum Parkerianum, vel alium quemcunque huic scopo proprium, et gas acidum carbonicum ex creta vel ex marmore albo pulveratis mediante acido sulphurico diluto elicitum transire coge, usque dum eo saturata sit.

Paretur ex tempore.

Aqua Carmelitana vid. Spiritus Melissae compositus.

□ Aqua Chamomillae.

Kamillenwasser.

Rc. Florum Chamomillae vulgaris Libras duas,
Aquae fontanae Libras triginta.
Destillent Librae viginti.

Sit limpida, odoris Chamomillae vulgaris.

Eodem modo parentur:

Aqua Sambuci.

Fliederwasser,

quae non minus limpida sit.

Nota. *Aquae destillatae simplices, de quibus modus servandi non expressis verbis praescriptus est, serventur in lagenis operculis idoneis tectis loco frigido.*

Aqua Cerasorum vid. A. Amygdalarum amararum diluta.

□ Aqua Cinnamomi simplex.

Einfaches Zimmtwasser.

Rc. Cinnamomi acuti contusi Libram,
Aquae fontanae quantum sufficit.

Stent per diem in vase clauso, postea destillando eliciantur Librae novem.

Sit limpida, odore et sapore Cinnamomi insignis.

Eodem modo paretur:

Aqua Valerianae.

Baldrianwasser.

e radice Valerianae silvestris.

Sit limpida, odoris Valerianae.

□ Aqua Cinnamomi spirituosa seu vinosa.

Geistiges Zimmtwasser.

Rc. Cinnamomi acuti contusi Libram,
Spiritus vini rectificati Libras duas,
Aquae communis quantum satis.

Destillent inde Librae novem, quas serva in lagena vitrea bene clausa.

Est primum turbida, tandem limpida.

Aqua Citri.

Citronenschalenwasser.

Rc. Flavedinis pomorum Citri recentium Libram
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur Librae duodecim.

Sit limpida, odoris Citri.

Eodem modo paretur:

□ Aqua Corticum Aurantiorum.

Pomeranzenschalenwasser.

ex Flavedine corticum Aurantiorum.

□ Aqua destillata.

Destillirtes Wasser.

Rc. Aquae fontanae quantum vis.

Destillent duae tertiae partes, rejecta portiuncula primum prodeunte.

Sit limpida neque liquore argenti nitrici, neque barytae nitricae, aut ammonii oxalici turbetur, nec liquore ammonii hydrosulphurati mutetur.

□ Aqua Florum Aurantiorum.

(Aqua Naphae.)

Pomeranzenblüthenwasser.

Rc. Florum Aurantiorum recentium Libras duas,
aut sale conditorum Libras tres,
Kali carbonici crudi Unciam,
Aquae fontanae quantum satis.

Abstrahantur inde Librae decem aquae limpidae.

Condiantur flores aurantiorum, miscendo partes duas florum cum parte una salis culinaris.

Nota. *Adhiberi quoque potest Aqua Naphae venalis ex Gallia meridionali sub nomine* Eau d' Orange triple *allata, miscendo cum pari pondere aquae destillatae, sed praevia exploratione a cupro et plumbo plane libera inventa.*

□ Aqua Foeniculi.

Fenchelwasser.

Rc. Seminis Foeniculi contusi Libram,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur Librae viginti. Oleum aethereum innatans auferatur.

Sit limpida, odoris Foeniculi.

Aqua hungarica.

(Aqua Anthos composita.)

Ungarisches Wasser.

Rc. Florum Roris marini Libram,
Lavendulae Uncias quatuor,
Spiritus vini Gallici Libras sex.

Digerantur per noctem et destillent inde Librae tres.

Sit limpida, odoris spirituosi et simul ingredientium.

Aqua hydrosulphurata.

(Aqua hydrothionica seu hepatica.)

Schwefelwasserstoffhaltiges Wasser. (Hydrothionsaures oder Leberluftwasser.

Rc. Ferri sulphurati in frustula comminuti Unciam dimidiam.

Immitte in cucurbitam vitream, quae uti in apparatu ad praeparandum acidum muriaticum descripto cum duabus lagenis Woulfianis conjungatur, quarum quaevis Libras duas aquae destillatae continet, quibus fere penitus repleta sit. Tum infunde Ferro sulphurato

Acidi sulphurici crudi (anglici) Unciam

antea cum

Aquae communis Unciis sex

diluti. Cucurbitam ope epistomii suberei, quod cum prima lagena Woulfiana ope tubi in duos angulos rectos flexi communicet, et juncturas ope vesicae bene claude. Cum gas hydrothionicum per aquam rarissime tantum adhuc transit, aquam gase saturatam e lagenis exime, et in vase bene obturato dispensa.

Paretur ex tempore.

□ Aqua Hyssopi.

Isopwasser.

Rc. Herbae Hyssopi siccatae Libras duas,
Aquae fontanae quantum sufficit.

Destillando eliciantur Librae viginti.

Sit limpida.

Eodem modo parentur:

□ Aqua Melissae.

Melissenwasser.

ex herba recenti.

Aqua Menthae crispae.

Krausemünzwasser.

ex herba siccata.

Aqua Rutae.

Rautenwasser.

ex herba recenti.

Aqua Scandicis odoratae.

Spanisches Körbelwasser.

ex herba recenti, quae omnes limpidae sint, et odore herbarum, super quas destillatae sunt.

Aqua Laurocerasi.

Kirschlorbeerwasser.

Rc. Foliorum recentium Laurocerasi concisorum
Libras duas,
Spiritus vini rectificati Uncias quatuor,
Aquae communis Libras sex.

Destillando elice Libras tres.

Sit limpida, et odoris illi Amygdalarum amararum persimilis. Eodem modo uti Aqua Amygdalarum amararum concentrata explorata Aqua Laurocerasi ex Unciis quatuor praebeat circiter Grana quinque coerulei Berolinensis probe exsiccati.

□ Aqua Menthae piperitae.

Pfeffermünzwasser.

Rc. Herbae Menthae piperitae siccatae Libras duas,
Aquae fontanae quantum sufficit.

Destillent Librae quatuordecim.

Sit limpida, odoris fortis Menthae piperitae.

Aqua Menthae piperitae spirituosa seu vinosa.

Geistiges Pfeffermünzwasser.

Rc. Herbae Menthae piperitae siccatae Libram,
Spiritus vini rectificati Libram cum dimidia,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur Librae sex aquae turbidae, quam bene serva.

Aqua oxymuriatica seu Aqua Chlori.

(Acidum muriaticum oxygenatum liquidum.)

Oxygenirtsalzsaures oder Chlorwasser.

Rc. Salis communis siccati Uncias sex,

Mangani hyperoxydati nativi Uncias tres.

Pulverata et bene invicem mixta in retortam vitream tubulatam immitte, tum adde per tubulum

Acidi sulphurici crudi anglici Uncias quinque

cum

Aquae communis pari pondere

diluti et refrigerati. Retorta balneo arenae immittatur, ejusque collo epistomium subereum perforatum adaptetur, cui tubulus rectangulus vitreus infixus est. Hic cum lagena bitubulata minore, libram dimidiam aquae continente, haec vero alteris duabus lagenis Woulfianis, aquae vel nive refrigerandis, communicet, in quibus distributae sunt

Aquae destillatae Librae octo.

Juncturis et tubulo retortae ope vesicarum ac luti spissi ex albumine ovi ac farina linteo illiti clausis, igne primum blandissimo et solum ad finem augendo gas oxymuriaticum *(Chlorum)* evolve. Gas liberum ex ultima lagena per tubulum vitreum incurvum in vas aquam et calcariam ustam continens transeat, ut absorbeatur. Acidum in priori lagena exceptum utpote acido muriatico contaminatum rejice, in alteris duabus lagenis con-

tentum misce, ac vitris capacitatis circiter Unciarum sex embolis vitreis munitis infunde, quae adhuc vesica obturata, et charta nigra velata loco frigido serventur.

Sit liquor limpidus, subflavescens, odoris suffocantis peculiaris, saporis acris, subausteri, minime acidi, aquam vix pondere specifico superet, et pigmenta plurimorum vegetabilium ita destruat, ut a liquore kali carbonici restitui nequeant.

□ Aqua Petroselini.

Petersilienwasser.

Rc. Seminis Petroselini contusi Libram,
Aquae fontanae quantum satis.
Destillent Librae duodecim.

Sit turbida, odoris fortis Petroselini.

□ Aqua phagedaenica.

Phagedaenisches Wasser.

Rc. Hydrargyri muriatici corrosivi Grana viginti quatuor.
Misce cum
Aquae Calcariae Unciis sedecim.
Serva. Agita ante dispensationem.

Sit agitata plena flocculorum luteo-flavorum.

Aqua picea.

Theerwasser.

Rc. Picis liquidae Uncias tres,
Aquae communis Libras tres.

Misce et seponantur saepe agitando per biduum. Postquam subsederit, liquorem limpidum decantha, et lagenis bene obturatis serva.

Sit paullulum turbida, odoris picis liquidae.

Aqua Pulegii.

Poleiwasser.

Rc. Herbae Pulegii siccatae Libras duas,
Aquae communis quantum satis.

Destillent Librae quatuordecim.

Sit limpida, odoris Pulegii.

□ Aqua Rosarum.

Rosenwasser.

Rc. Florum Rosarum incarnatarum recentium Libras quatuor,

aut

Sale conditarum Libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillatione elice Libras viginti.

Sit limpida, odoris grati Rosarum.

Nota. *Condiantur petala florum rosarum sale, miscendo partem unam salis communis cum partibus duabus petalorum.*

□ Aqua Rubi idaei.

Himbeerenwasser.

Rc. Residui post parationem succi Baccarum Rubi idaei recentis Libras decem,
Kali carbonici crudi Uncias duas,
Aquae fontanae Libras triginta.

Abstrahantur Librae viginti.

Sit limpida, odoris grati baccarum Rubi idaei.

□ Aqua saturnina.

(A. vegeto-mineralis Goulardi.)

Bleiwasser. Goulardisches Wasser.

Rc. Aquae destillatae Libras duas,
Spiritus vini rectificati Uncias duas,
Aceti saturnini Unciam dimidiam.

Misce et ante dispensationem agita.

Sit alba, turbida.

□ Aqua vulneraria acida seu Thedenii.

(Mixtura vulneraria acida.)
Theden's Schusswasser.

Rc. Aceti vini Libras tres,
Spiritus vini rectificati Libram cum dimidia,
Acidi sulphurici diluti Uncias sex,
Mellis despumati Libram unam.
Mixta filtra et bene serva.

Sit liquor limpidus et flavescens, ponderis specifici 1,050.

Aqua vulneraria seu sclopetaria vinosa.

Geistiges Wund- oder Schusswasser.

Rc. Herbae Absinthii,
Menthae piperitae,
Roris marini,
Rutae,
Salviae,
Florum recentium Lavandulae, singulorum Uncias quatuor,
Spiritus vini rectificati Libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.

Macerentur per viginti quatuor horas, et destillent Librae octodecim. Serva lagenis vitreis bene obturatis.

Sit turbida, odoris fortis, aromatici.

□ ††† Argentum nitricum crystallisatum.

(Nitras argenticus.)

Krystallisirtes salpetersaures Silber.

Rc. Argenti signati purioris ut e. g. florenorum in Hercynia signatorum laminati ac concisi quantum velis.

Solve in

Acidi nitrici sufficiente quantitate.

Liquor in vase porcellaneo ad siccum evaporet, et massa salina remanens in patinam ferream, vel, si ad manus sit, in crucibulum argenteum immissa igne aucto tam diu fundatur, donec tota nigra appareat, et portiuncula in aqua destillata soluta solutionem praebeat, quae filtrata addito liquore kali borussici superfluo non amplius praecipitatum e fusco rubrum sed albissimum demittat, tunc massam refrigeratam in

Aquae destillatae quantitate sufficiente

solve, solutionem filtra et cuprum oxydatum in filtro remanens bene ablue. Liquor filtratus evaporet in vase vitreo vel porcellaneo ad pelliculam, ac refrigeratione secundum artis legem ad crystallos cogatur. Crystalli

super charta bibula alba, charta altera nigra tecta, leni calore exsiccatae in vitro clauso charta nigra velato serventur.

Sint crystalli decolores, pellucidae, tabulaeformes, tetra- vel hexaedricae, plurimum irregulares, aëre persistentes, in aquae pari pondere, et dimidio pondere bullientis solubiles.

□ ††† Argentum nitricum fusum.

(Lapis infernalis. Nitras argenticus fusus.)
Geschmolzenes salpetersaures Silber. (Höllenstein.)

Rc. Argenti nitrici crystallisati quantum placet.
In vase argenteo aut porcellaneo idoneo leni igne liqua donec massa cerae instar tranquille fluat, et tum cito effunde in modulos ferreos calefactos sebo illitos. Bacillos refrigeratos in vitro clauso charta nigra velato serva.

Sit siccum, fractura radiosum, radiis e centro exeuntibus, splendens, colore albo aut griseo, et liquor ammonii çaustici affusus non coerulescat.

††† Aurum muriaticum natronatum.

(Chloretum Auri cum Chloreto Natrii.)
Natronhaltiges salzsaures Gold.

Rc. Auri purioris signati ut e. g. ducatorum Batavorum laminati ac concisi Partes sex.

Solve in

Acidi muriatici quantitate sufficiente,

Acidi nitrici quantum ad Auri solutionem requiritur

guttatim addendo.

Liquidum ab argento muriatico in fundo remanente separatum in patella porcellanea ad siccum evaporet, cavendo ne nimio calore e parte decomponatur, sed ut sal solummodo ab omni acido superfluo liberetur. Dein in aqua destillata soluto adde

Salis communis exsiccati Partes decem.

Liquor per chartam bibulam filtretur, leni calore iterum ad siccum evaporet, et massa residua pulverata vitro bene claudendo immittatur.

Sit pulvis aurei coloris, in aëre non deliquescens, et ex solutione paris coloris instillato liquore ferri sulphurici aurum metallicum sub forma pulveris et cuticulae praecipitetur.

Balsamum Locatelli.

Locatellbalsam.

Rc. Cerae flavae Uncias sex.

Liquefiant leni calore in

Olei Olivarum Unciis novem,

Terebinthinae venetae Unciis sex.

Post refrigerationem adde

Balsami peruviani Unciam,

Ligni Santali rubri pulverati Unciam dimidiam.

Misce agitando et serva in vase porcellaneo seu murrhino.

Sit coloris rubri, consistentiae unguenti, et odoris ingredientium.

Balsamum stomachicum.

Magenbalsam.

Rc. Olei aetherei Absinthii,
Caryophyllorum aromaticorum,
Macidis,
Menthae piperitae, singulorum Drachmam dimidiam,
Nucistae Unciam
Balsami peruviani nigri Drachmam.

Misce. Serva in vase clauso.

□ Balsamum universale.

Universalbalsam.

Rc. Olei Raparum recenter expressi Unciam cum dimidia,
Cerae flavae Libram dimidiam.

Leni igne liquatis sensim adde sub continua agitatione

Aceti saturnini Uncias tres,
Camphorae tritae Unciam dimidiam.

Serva in olla fictili silicea, vel porcellanea.

Baryta muriatica.

Terra ponderosa salita. (Chloretum Baryi.)
Salzsaurer Baryt. Salzsaure Schwererde.

Rc. Barytae sulphuricae nativae laevigatae Uncias tres.

Admisce sedulo

Carbonis vegetabilis pulverati Drachmas tres,
Colophonii pulverati Drachmas sex.

Mixta in crucibulo non nimis amplo, leviter tecto, excandescant per horam igne quam maxime aucto, ita ut massa perfecte fusa sit. Tum effunde in mortarium ferreum calefactum, et in pulverem redige. Massae pulveratae in lagenam immissae affunde

Aquae destillatae fervidae Libras tres.

In vase clauso digere saepe agitando per aliquot horas. Tum filtra et residuo reaffunde

Aquae destillatae fervidae Libram

et uti supra digere, ut Baryta sulphurata plane solvatur. Liquori post refrigerationem filtratione separato cum primo mixto caute instilla

Acidum muriaticum

quamdiu gas hydrosulphuratum extricatur. Tum liquor filtratus evaporet ad punctum crystallisationis et loco

frigido seponatur, ut crystallos deponat. Ex liquore remanente iterata evaporatione et refrigeratione crystallos elice, quamdiu sub forma tabularum apparent. Siccatas in vitro serva.

Sint crystalli tabulares, siccae, nec in aëre humescentes, diaphanae, coloris expertes, et ab inquinamentis metallicis plane liberae, quod aqua hydrosulphurata et liquore ammonii caustici exploratur. Immixta *strontiana muriatica* solutione in spiritu vini rectificatissimo et ipsius deflagratione colore rubro dignoscitur.

□ Bismuthum nitricum praecipitatum.

Magisterium Bismuthi. (Nitras quadribismuthicus.)
Wismuthniederschlag.

Rc. Bismuthi grosse contusi Uncias duas,
Acidi nitrici Uncias sex,

vel quantum requiritur ad solvendum metallum. Solutionem aquae destillatae fervidae dimidia parte dilue, adhuc calidam filtra, et in vas idoneum

Aquae pluvialis Libras duodecim

jam continens sensim et sub continua agitatione effunde. Praecipitatum inde exortum bene edulcora, inter chartam bibulam loco tepido umbroso exsicca, et in vitro charta nigra velato bene clauso serva.

Sit albissimum, subcrystallinum, in acido nitrico totum sine effervescentia solubile, solutione saturata aqua destillata diluta

affuso liquore argenti nitrici vel acido sulphurico non turbanda, aestui tubi ferruminatorii expositum in vitrum flavum abiens.

Cacao praeparata cum Lichene islandico.

(Chocolata Lichenis islandici.)

Isländische Mooschokolate.

vide

Pasta de Cacao cum Lichene islandico.

Calcaria muriatica.

(Sal muriaticum fixum. Chloretum Calcii.)

Salzsaurer Kalk.

Rc. Concharum praeparatarum bene excoctarum quantum vis.

Solve in

Acidi muriatici quantitate sufficiente

ad perfectam saturationem. Solutio filtrata in vase vitreo aut porcellaneo ad siccitatem evaporet. Sal siccum sic obtentum adhuc calens in vitro bene clauso serva.

Sit pulvis albus, aëris accessu deliquescens, in aquae parte quarta, uti etiam in spiritu vini rectificatissimo sine residuo solubilis, et ab inquinamentis metallicis liber, quod aqua hydrosulphurata et liquore ammonii caustici dignoscitur.

□ Calcaria oxymuriatica seu chlorata.

(Chloris calcicus?)

Oxydirtsalzsaurer Kalk oder Chlorkalk. (Chlorigsaurer Kalk.)

Calcaria usta dimidia aquae communis copia adspergatur, ut in pulverem fatiscat. Pulvis in duas vel tres lagenas vitreas distribuatur, quae inter se et ope minoris lagenae Woulfianae paullulum aquae continentis cum apparatu supra descripto, e quo chlorum elicitur, justa encheiresi conjungantur. Tum chlorum modo supra dicto extricetur, et per calcariam ustam conducatur, quamdiu ab hac absorbetur. Lagenae Woulfianae, dum chlorum elicitur, refrigerentur, et ope tubi vitrei per tubulum medium lagenarum identidem pulvis calcariae succutiatur. Ad saturandas sex partes calcariae ustae decem circiter partes salis communis requiruntur. Peracta operatione pulvis e lagenis cito eximatur, et in vasis minoribus bene obturatis contra lucem munitis servetur.

Sit pulvis albus, chlorum valde redolens, et majori ex parte in aquae octuplo solvatur.

□ Calcaria sulphurata.

(Hepar Sulphuris calcareum. Sulphuretum Calcii.)

Geschwefelter Kalk. Kalkschwefelleber.

Rc. Gypsi subtilissime pulverati Partes septem.

Misce cum

Carbonis vegetabilis pulverati Parte una.

Mixta in crucibulo tecto incandescant, donec pulvis albus appareat, quem adhuc calidum in vas vitreum ingere, probe dein claudendum.

Aqua affusa carbonis particulae non separentur, et acido sulphurico diluto affuso gas hydrothionicum copiose extricetur.

Calcaria sulphurato-stibiata.

(Calx Antimonii cum sulphure Hoffmanni. Sulphuretum Calcii cum Sulphureto Stibii et Sulphate calcico.)

Spiessglanzhaltiger Schwefelkalk.

Rc. Calcariae vivae recenter ustae et pulveratae Uncias quinque,
Stibii sulphurati laevigati,
Sulphuris depurati, singulorum Unciam cum dimidia.

Intime mixta, ac crucibulo hassiaco intrusa in superficie cum calcariae vivae pulveratae strato et operculo lutato tecta, crucibulo operculo lutato munito, incandescant per horam dimidiam. Massa refrigerata a calcis strato liberata in pulverem redigatur, et in vitro probe obturato et vesica tecto servetur.

Sit pulvis subtilis, e rufo flavus, parum odoratus, acido muriatico affuso colorem intensiorem aurantiacum induens, gas hy-

drothionicum simul copiose emittens, et in aquae bullientis quinquaginta partibus solvatur, solutione leviter citrina, limpida, instillato acido sulphurico sedimentum floccosum rubeum deponente.

Carbo Carnis.

Fleischkohle.

Rc. Carnis vitulinae a pinguedine liberae cum adhaerentibus ossiculis quantum vis.

In vase idoneo torreatur, quamdiu vapores extricantur, qui admota flamma incenduntur. Tum residuum in pulverem subtilissimum redigatur, et in vase vitreo servetur.

Sit pulvis e fusco niger, et cum acido muriatico solutionem praebeat, quae ferrum et calcariam phosphoricam prodit.

□ Carbo vegetabilis praeparatus.

(Carbo purus.)

Gereinigte Holzkohle.

Carbonem vegetabilem de ligno leviori grossiuscule pulveratum et aquae sufficiente copia excoctum ure in crucibulo clauso, cujus operculum foramine parvo instructum sit, donec fumus penitus exire desinat. Car-

bonem remanentem in pulverem subtilissimum redige, quem in vase clauso serva.

Sit colore nigerrimo, parum nitens, in aestu rutilo sine flamma excandescens.

Ceratum Aeruginis.

(Cera viridis.)

Grünspahncerat.

Rc. Cerae flavae Libram,
Resinae flavae Uncias sex.

In sartagine cuprea calore leni liquatis, dein ab igne remotis adde

Terebinthinae communis Uncias quatuor,

et per stupam colatis

Aeruginis pulveratae Unciam.

Effunde mixta in capsulas chartaceas, et ceratum refrigeratum in taleolas discinde.

□ Ceratum Cetacei album.

(Ceratum labiale album. Emplastrum Spermatis Ceti.)

Weisses Wallrathcerat.

Rc. Cerae albae,
Cetacei,
Olei olivarum optimi, singulorum Partes aequales.

Liquefacta in cistulas effundantur, et refrigerata in taleolas dissecta serva.

Ne flavescens nec rancidum sit.

Ceratum Cetacei rubrum.

(Ceratum labiale.)

Lippenpomade.

Rc. Olei Amygdalarum recentis Unciam cum dimidia,
Cerae albae Unciam,
Cetacei,
Radicis Alkannae contusae, singulorum Drachmam.

Liquentur leni igne, dein colaturae admisce
Olei de Cedro,
Bergamottae, singulorum Guttas duodecim,

et in capsulas papyraceas effunde.

Sit purpureum, consistentiae densioris, odoris oleorum aethereorum admixtorum.

□ Ceratum Resinae Pini.

(Emplastrum citrinum.)

Gelbes Heftpflaster.

Rc. Cerae flavae Libras duas,
Resinae Pini flavae Libram,

Sebi ovilli,
Terebinthinae communis, singulorum Libram dimidiam.

Fiat lege artis ceratum.

Sit e fusco flavum, consistentiae densioris.

Ceratum Sabinae vid. Unguentum Sabinae.

□ Ceratum Saturni.

(Unguentum saturninum.)

Bleicerat.

Rc. Olei Olivarum Libras duas,
Cerae albae Uncias sex.

Liquata ab igne remove, et simulac lentescere incipiant, sensim et sub perpetua agitatione cum agitaculo ligneo illis adde

Aceti saturnini Uncias tres

dilutas in

Aquae Rosarum Unciis sex.

Consumta omni humiditate ceratum in vase fictili vitreato vel murrhino charta obtecto serva.

Sit album, consistentiae mellis spissioris, odoris aciduli non rancidi.

Cereoli saturnini.

(Cereoli plumbici s. mitigantes.)

Bleibougies.

Rc. Cerae flavae Libram,
Cetacei Drachmas tres.
Liquatis sensim admisce agitando
Aceti saturnini Drachmas duas.

Ab igne remotis immerge telas linteas tenues, e quibus lege artis simplices fiant cereoli superficie laevi, et forma exacta.

Nota. *Non nisi recens praeparati dispensentur.*

Cereoli simplices.

(Cereoli exploratorii.)

Einfache Bougies.

Rc. Cerae flavae Uncias sex,
Olei Olivarum Unciam.

Liqua, et post lenem humidi evaporationem, probe cavendo, ne empyreuma acquirat, remove ab igne, et immergendo telas linteas tenues fiant ex illis cereoli uti supra.

Chininum muriaticum.

(Hydrochloras quinicus.)

Salzsaures Chinin.

Rc. Chinini sulphurici Unciam cum dimidia,
Barytae muriaticae Unciam dimidiam.

Solve seorsim in aquae destillatae ferventis quantitate sufficiente, misce solutiones fervidas invicem, filtra, et liquorem filtratum lege artis evaporando et refrigerando in crystallos redige, quamdiu illae albae et bene formatae appareant.

Sint crystalli albae, aciculares vel lamellares, sericeo-nitentes, in trecentis partibus spiritus vini rectificatissimi, et in viginti partibus aquae bullientis solubiles, solutione peramara, cum liquore argenti nitrici sedimentum copiosum album caseosum demittente.

□ Chininum sulphuricum.

(Sulphas quinicus.)

Schwefelsaures Chinin.

Rc. Corticis Chinae regiae grossiuscule pulverati Libras duas.

In vas fictile immissis affunde

Aquae communis fervidae Libras duodecim,

Acidi muriatici Unciam cum dimidia.

Digere per octo horas saepius agitando, sub fine calorem usque ad ebullitionem augendo, tum cola et exprime. Residuum simili modo bis terve cum libris octo aquae acidulatae per octo horas digeratur, peracta extractione semper exprimendo. Liquoribus obtentis admisce

Liquoris Kali caustici eam quantitatem

ut acidum parumper adhuc praevaleat. Tum liquores

leni igne ad libras quatuor redigantur. Post refrigerationem filtra, et liquori adde

Calcariae ustae cum sufficiente quantitate aquae communis mixtae; ut in liquorem lacti similem mutetur, Unciam unam.

Digerantur leni calore per diem, miscelam subinde agitando, dein filtretur, et quod in filtro remanet aqua communi frigida edulcoratum siccetur. Subtiliter tritum bis terve cum

Spiritus vini rectificatissimi Partibus octo

digeratur, calore sub fine ad ebullitionem aucto. Liquores decanthentur, residuum bene exprimatur, et omne obtentum liquidum filtretur. Huic tum admisce

Acidi sulphurici diluti tantum,

ut aliquantum excedat

Carbonis animalis prius ope acidi muriatici purificati et bene eloti Unciam cum dimidia, et

Aquae communis Libram.

Tum ex retorta spiritum abstrahe, residuum adhuc fervidum per linteum, cui charta bibula imposita est, filtra, quo facto post refrigerationem liquidum filtratum in massam candidam crystallinam subtiliter acicularem coibit, quam leniter exprime. Residuum in filtro iterum cum aqua decoque, et liquorem inde obtentum cum lixivio massae crystallinae mixtum refrigeratione et eva-

poratione iterum in crystallos coge, quamdiu hae albae prodeant. Leni calore siccatas bene serva.

Sint crystalli albissimae, splendentes, aciculares, flexiles, colorem chartae coeruleae exploratoriae madefactae levissime tantum in rubrum mutantes, in aqua parum, in spiritus vini rectificatissimi trecentis partibus temperatura media, nec non in aethere sulphurico solubiles, odoris expertes, saporis peramari, aestui flammae tubi ferruminatorii continuatae expositae sine residuo fugandae.

Cinchoninum sulphuricum.

(Sulphas cinchonicus.)

Schwefelsaures Cinchonin.

E cortice Chinae fuscae et flavae eodem modo ut Chininum sulphuricum paretur.

Exhibet crystallos majores, columnares, rectangulares, duras, siccas, et praeterea differt a Chinino sulphurico mitiore amaritie, et majore solubilitate in spiritu vini rectificatissimo, cujus partes duodecim sufficient ad partem unam Cinchonini sulphurici solvendam.

□ Colocynthis praeparata.

(Trochisci Alhandal.)

Zubereitete Koloquinte.

Rc. Colocynthidis a seminibus liberatae et minutim concisae Uncias quinque,
Gummi arabici pulverati Unciam.

Cum aquae fontanae sufficiente quantitate fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem in vase clauso servandum.

□ Conchae praeparatae.

Praeparirte Austerschalen.

Conchae aqua fontana decoquantur, abluantur, et siccentur, tum pulveratae et laevigatae serventur.

Conditum Corticum Aurantiorum.

Ueberzuckerte Pomeranzenschalen.

Cortices fructuum Aurantiorum recentium maturorum

in

Aqua communi

quotidie mutanda macerentur, donec mollescant. Mutata iterum aqua coquantur usque dum culmo secalino perforari queant.

Tum cortices ab albedine mundati cribro subverso imponantur, ut ab humore superfluo liberentur.

In vas vitreum vel porcellaneum jam inditis affundatur

Syrupus e Saccharo et brodio superiore a coctione superstite paratus, qui eos contegat.

Post diem unum alterumve eximantur cortices, qui

syrupo, modico calore spissato atque refrigerato, immergantur, et post aliquot dierum macerationem iterum eximantur. Syrupus residuus cum saccharo iterum ad justam spissitudinem redactus, postea corticibus adjiciatur, ut superemineat.

Eodem modo paretur:

Conditum Calami aromatici.

Ueberzuckerter Kalmus.

ex radicibus Calami aromatici decorticatis et longitudinaliter in taleolas dissectis.

Confectio Seminis Cinae.

Ueberzuckerter Wurmsaamen.

Rc. Seminis Cinae electi Uncias duas.

Immittantur cacabo aheneo super lenissimum ignem suspenso, ut semina, simul agitanda, leniter calefiant, tum paulatim affundantur

Sacchari clarificati ad consistentiam Tabulati cocti Unciae quatuor.

Agitetur cacabus assidue, et semina bacillo ligneo saepissime intermisceantur, donec omnia sicca apparuerint; semina nondum saccharo incrustata et partes saccharinae grumosae ab incrustatis seminibus separentur, illa vasi idoneo immittantur, haec autem mundato prius cacabo denuo sufficiente sacchari tabulati quantitate superinfusa modo descripto incrustentur, quae incrustatio toties re-

petenda est, quoties semina nondum saccharo obducta relicta maneant.

In solutione per aquam fervidam quivis globulus semen suum in lucem edat.

Conserva Cochleariae.

Löffelkrautconserve.

Rc. Herbae Cochleariae recentis quantum libet,
Sacchari albi triplum pondus.

Herbam cito aqua frigida ablutam et bene mundatam contunde cum saccharo albo tenuissime pulverato per vices addendo in mortario lapideo ad consistentiam pultis, quem vase porcellaneo charta obtecto in loco frigido serva.

Pari modo paretur:

Conserva Rosarum.

Rosenconserve.

e petalis rosarum incarnatarum cum duplo sacchari.

Cortex Cacao tostus.

Geröstete Kakaoschalen.

Obtinetur in praeparatione Olei Cacao, dum semina Cacao leniter tosta a corticibus liberantur, et hi seorsim servantur.

Cuprum aluminatum.

(Lapis divinus.)

Mit Alaun versetztes schwefelsaures Kupfer.

Rc. Cupri sulphurici,
Kali nitrici depurati,
Aluminis crudi, singulorum Uncias duas.

Contusa et invicem mixta liquefiant in vase terreo vitreato. Parum refrigeratis admisce

Camphorae tritae Drachmam.

Massam super porphyritem effusam refrigeratam in frustula diffractam bene serva.

Sit albo-coerulescens, odoris camphorati insignis.

Cuprum sulphurico-ammoniatum.

Kupfersalmiak.

Rc. Cupri sulphurici triti Uncias duas.

Solve in

Liquoris Ammonii caustici Unciis quinque,
vel quantum sufficit

ut praecipitatum ab initio ortum plane solvatur. Liquori in vase vitreo altiori via parietis vitri caute infunde spiritus vini rectificatissimi eandem quantitatem, ita ut hicce illi innatet, et sepone vas per triduum, ut crystalli bonae notae concrescant. Tum spiritu vini decanthato

crystallos ortas collige, et inter chartam bibulam sicca. Admiscendo eadem encheiresi spiritus vini rectificatissimi eandem quantitatem, nova quantitas crystallorum separari potest, a primis non nisi magnitudine discrepantium. In vase bene clauso serva.

Sint crystalli coloris saturate coerulei, et cum aquae destillatae parte una cum dimidia solutionem limpidam coeruleam praebeant, quae majore aquae copia diluta sedimentum floccosum coerulescenti-album demittat.

Cuprum sulphuricum.

(Sulphas cupricus cum aqua.)

Schwefelsaures Kupfer.

Rc. Acidi sulphurici crudi Partes tres,
Aquae destillatae Partem unam.

Rite mixta igni exponantur in cucurbita vitrea, satis ampla, balneo arenae imposita, tum sensim ingere, vapores sulphurosos erumpentes caute evitans,

Ramentorum Cupri Partem unam, vel quantum opus erit.

Soluta portione prima alteram adde, et sic perge donec metallum non amplius a liquore bulliente afficiatur, et evolutio gas sulphurosi cesset.

Residuum salinum solve in

Aquae destillatae ferventis sextuplo,

et liquorem per chartam bibulam filtratum evaporare

fac, et seponendo in loco frigido in crystallos coge, quas siccatas in vitro clauso serva.

Sint crystalli magnae, intense cyaneae, rhomboideae, compressae, oblique vel horizontaliter truncatae, pellucidae, splendentes, et in liquore ammonii caustici sine residuo solubiles.

Decoctum album Sydenhami.

Sydenham's weisses Decoct.

Rc. Rasurae Cornu Cervi,
Micae Panis tritici albissimi, singulorum
Unciam dimidiam.

Coque cum Aquae fontanae Libris tribus eo usque, donec tertia pars consumta sit. In colatura solve
Gummi arabici Drachmas duas,
Sacchari albi Unciam dimidiam.

Paretur ex tempore.

Elaeosaccharum Anisi.

Anisölzucker.

Rc. Sacchari albissimi pulverati Unciam,
Olei Anisi aetherei Guttas viginti quatuor.

Misce terendo.

Eodem modo parentur:

Elaeosaccharum Cajeputi.

Cajeputölzucker.

Elaeosaccharum Chamomillae.
Kamillenölzucker.

Elaeosaccharum Cinnamomi.
Zimmtölzucker.

Elaeosaccharum Foeniculi.
Fenchelölzucker.

Elaeosaccharum Menthae piperitae.
Pfeffermünzölzucker.

Elaeosaccharum Valerianae.
Baldrianölzucker.

et reliqua, et quovis alio oleo aethereo praescripto.

Elaeosaccharum Flavedinis Citri.
Zitronenschalenzucker.

Paratur quoque atterendo fructibus citri recentibus sacchari frustula, donec oleosa flavedinis substantia satis impraegnata sint.

Omnia Elaeosacchara ex tempore parentur.

Electuarium anthelminthicum seu Seminis Cinae compositum.

Wurmlatwerge.

Rc. Seminis Cinae pulverati Unciam,
Radicis Valerianae pulveratae,
Jalapae pulveratae, singulorum Drachmas duas,
Kali sulphurici pulverati Unciam dimidiam.

Misce cum
Oxymellis scillitici Unciis quinque,
ut fiat Electuarium, quod serva in vase porcellaneo charta obtecto.

Electuarium dentifricium.

(Electuarium gingivale.)

Zahnlatwerge.

Rc. Tartari depurati,
Lapidum Cancrorum, singulorum Uncias duas,
Lapidis Pumicis Unciam,
Coccionellae,
Myrrhae,
Radicis Iridis florentinae, singulorum Unciam dimidiam.

Probe pulverata misce exacte et adde
Olei Caryophyllorum Drachmam dimidiam,
Mellis rosati Uncias sedecim.
Fiat Electuarium.

□ Electuarium lenitivum.

(Electuarium e Senna.)
Eröffnende Latwerge.

Rc. Foliorum Sennae pulveratorum Uncias tres,
Seminis Coriandri pulverati Unciam dimidiam,
Pulpae Tamarindorum Uncias octo,
Syrupi Liquiritiae Uncias sex,
Mellis albi Uncias tres,
Aquae communis Uncias sex.
Adhibito leni calore misceantur ut fiat Electuarium. Servetur in vase porcellaneo charta obtecto.

Electuarium mundificans.

(Electuarium Sarsaparillae compositum.)
Blutreinigende Latwerge.

Rc. Radicis Sarsaparillae Uncias tres,
Ligni Guajaci Unciam unam,
Foliorum Sennae Unciam dimidiam,
Radicis Rhei chinensis Drachmas duas,

Corticis Sassafras,
Seminis Anisi, singulorum Drachmam.
Probe pulverata misceantur cum
Mellis despumati Unciis duodecim.

Electuarium theriacale.

Theriaklatwerge.

Rc. Radicis Angelicae Uncias sex,
Scillae,
Serpentariae virginianae, singularum Uncias quatuor,
Valerianae silvestris,
Zedoariae,
Cassiae cinnamomeae, singularum Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Croci,
Ferri sulphurici,
Myrrhae,
Opii, singulorum Unciam,
Mellis despumati Libras sex.

Melli paullulum calefacto addatur opium in vini malacensis quantitate sufficiente dilutum, deinde addantur cetera in pulverem trita. Serva in olla porcellanea.

□ Elixir acidum Halleri.

(Mixtura sulphurico-acida.)

Haller's saures Elixir.

Rc. Spiritus vini rectificatissimi Uncias tres.

Vasi vitreo capaci immissis per vices, manu cauta agitando et denuo refrigerando instilla

Acidi sulphurici rectificati Unciam.

Serva in vase vitreo epistomio vitreo clauso.

Sit liquor limpidus, coloris expers, sine odore sulphuroso, ponderis specifici 0,990.

Elixir aperitivum Clauderi.

Clauder's eröffnendes Elixir.

Rc. Aloës succotrinae,
Myrrhae electae, singulorum Unciam,
Croci orientalis Unciam dimidiam,
Kali carbonici depurati Uncias duas.

Incisa et contusa digerantur per aliquot dies in

Aquae Florum Sambuci Unciis quindecim.

Exprimantur et filtrentur. Serva in vase clauso.

Sit coloris obscure fusci, opacum sed non turbidum, odoris croci et myrrhae, saporis paris simul peramari.

□ Elixir Aurantiorum compositum.

(Elixir balsamicum temperatum Hofmanni.)
Zusammengesetztes Pomeranzenelixir.

Rc. Flavedinis Corticum Aurantiorum Uncias quatuor,

quibus contusis affunde

Vini malacensis Libras duas,
Tincturae Corticum Aurantiorum Uncias duas.

Digerantur loco tepido vitro vesica clauso per septimanam, tum coletur exprimendo, in fluido colato solve

Extracti Absinthii,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Gentianae, singulorum Unciam.

Sepone ad subsidendum, et tum a residuo decanthatum et per chartam bibulam filtratum serva in vitro obturato.

Sit e fusco nigrum, opacum sed non turbidum, odoris vini malacensis et aurantiorum, saporis primum subdulcis, dein peramari.

□ Elixir pectorale seu e succo Liquiritiae.

Brustelixir.

Rc. Succi Liquiritiae depurati Uncias duas.

Solve in

Aquae Foeniculi Unciis sex.

Solutioni decanthatae et colatae adde

Liquoris Ammonii anisati Uncias duas.

Mixta in vase bene clauso serva.

Sit fuscum, opacum, sine sedimento, odoris ammoniacalis, foeniculacei, saporis paris dulcissimi.

Elixir viscerale Hoffmanni.

(Elixir Aurantiorum myrrhatum. Appar. Hamb.)

Hoffmann's Visceralelixir.

Rc. Flavedinis Corticum Aurantiorum Unciam cum dimidia,

Vini Malacensis Libras duas.

Post digestionem per triduum exprime. Colaturae adde

Extracti Cardui benedicti,
Cascarillae,
Centaurii minoris,
Gentianae rubrae,
Myrrhae aquosi, singulorum Drachmas duas.

Sepone ad subsidendum et tum a sedimento decanthatum et filtratum serva in vitro clauso.

Sit obscure fuscum, odoris vini malacensis et aurantiorum illi myrrhae mixti.

Elixir Vitrioli Mynsichti.

(Loco Tincturae aromaticae acidae Ph. bor.)

Mynsicht's Vitriolelixir.

Rc. Radicis Galangae minoris Unciam cum dimidia.
Calami aromatici Unciam,
Zedoariae Drachmas tres,
Herbae Menthae crispae,
Salviae, singularum Unciam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cassiae cinnamomeae, singulorum Drachmas tres,
Corticum Citri,
Cubebarum,
Ligni Quassiae,
Nucis moschatae, singulorum Drachmas duas.

Incisis et contusis affunde
Spiritus vini rectificati Libras duas.

Macerentur per septimanam, dein addantur
Acidi sulphurici diluti Unciae duae.

Digerantur per sex dies, tum liquorem expressum per chartam bibulam filtra, et serva in vitro bene obturato.

Sit fusco-nigrum pellucidum, odoris aromatici spirituosi, saporis paris, aciduli, amari, cum aqua permixtum viridi-lactescens.

□ Emplastrum adhaesivum.

Klebpflaster.

Rc. Emplastri Lithargyri simplicis Uncias sedecim,
Colophonii Unciam et dimidiam,
Terebinthinae communis Unciam dimidiam.

Leni igne liquata per horae quadrantem spathula agitentur, cavendo ne adurantur. Fiat Emplastrum.

Sit fuscum, justae consistentiae emplastri, frigidum subfragile, manu emolliendum, linteis tenaciter agglutinans.

Emplastrum adhaesivum cum Oleo Lini.

Klebpflaster mit Leinöl.

Rc. Cerussae tritae Partes duas,
Olei Lini Partem unam.

Fiat eadem encheiresi uti in parando Emplastro Cerussae coquendo Emplastrum, probe cavendo, ne unquam sub paratione nimius humor instilletur.

Sit flavescens, justae consistentiae emplastri, linteis tenacissime agglutinans.

□ Emplastrum de Ammoniaco.

Ammoniakpflaster.

Rc. Cerae flavae,

Resinae Pini flavae, singularum Uncias quatuor.

Liquatis et subrefrigeratis admisce

Ammoniaci depurati Uncias sex,

Galbani depurati Uncias duas,

in

Terebinthinae communis Unciis quatuor blando calore solutas. Fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum aromaticum.

(Loco Emplastri stomachici seu de Labdano.)

Gewürzhaftes Pflaster.

Rc. Cerae flavae Uncias octo,

Sebi ovilli Uncias sex,

Terebinthinae communis Uncias duas.

Liquatis et semirefrigeratis immisce

Olibani pulverati Uncias quatuor,

Benzoës pulveratae Uncias duas,

Olei Nucistae liquati Unciam cum dimidia,

et sub finem, massa jam magis refrigerata,

Olei Menthae piperitae,

Caryophyllorum, singulorum Drachmas duas.

Fiat Emplastrum et bene serva.

Sit fuscum, tenax, odore aromatico.

□ Emplastrum Cantharidum.

(Emplastrum vesicatorium ordinarium.)

Canthariden- oder Blasenpflaster.

Rc. Cerae flavae Uncias duodecim,
Olei Olivarum,
Terebinthinae communis, singulorum Uncias tres.

Liquatis et semirefrigeratis immisce
Cantharidum recenter sed non subtiliter tritarum Uncias sex,
ut fiat Emplastrum, quod bene servetur.

Sit tactu pingue, molle, nigro-viride, punctis viridibus nitentibus aequaliter dispersis.

□ Emplastrum Cantharidum perpetuum.

(Emplastrum vesicatorium perpetuum.)

Anhaltendes Canthariden- oder Blasenpflaster.

Rc. Pulveris Mastiches,
Terebinthinae venetae, singulorum Uncias tres.

Leni calore liquatis adde
Cerae flavae liquatae Unciam,
ac seorsim immisce

Pulveris grossiusculi Cantharidum Drachmas decem,
Euphorbii Unciam dimidiam.
Fiat Emplastrum caute servandum.

Sit fuscum, frigidum fragile, calore ductile, fractura splendida, maculis griseis et tantum punctis viridibus nitentibus cantharidum variegata.

□ Emplastrum Cerussae.

(Emplastrum album coctum.)

Bleiweisspflaster.

Rc. Cerussae tritae Libras octo,
Olei Olivarum Libras quatuor cum dimidia.

Oleo in aheno cupreo calefacto injiciatur Cerussa. Coquantur sub agitatione continua, instillando sensim modicam aquae calidae quantitatem, ne humidum deficiat, ad justam Emplastri spissitudinem; tunc adde
Cerae albae Libram.
Malaxando formentur, aquae ope, magdaleones.

Parari quoque potest sequenti modo:

Rc. Saponis alicantini ex Oleo praeparati Uncias sex,
Plumbi acetici depurati Uncias tres cum dimidia.

Solve saponem leni calore in
Aquae destillatae Unciis triginta,

et solutioni colatae admisce

Solutionem Plumbi acetici in Unciis novem Aquae destillatae.

Tum a sedimento copioso cohaerente, postquam bene subsederit, liquorem defunde, sedimentum aliquoties cum aqua calida ablue, et lege artis ope aquae bene malaxando in magdaleones forma.

Sit candidum, frigidum durum, emollitum valde tenax.

□ Emplastrum Conii.

(Emplastrum de Cicuta.)

Schierlingspflaster.

Rc. Cerae flavae Libram,
Colophonii,
Olei Olivarum, singulorum Libram dimidiam.

Liquatis et semirefrigeratis paullatim admisce

Herbae Conii maculati siccatae pulveratae Libram.

Fiat Emplastrum.

Sit griseo-viride, molliusculum, odoris murini proprii.

Eodem modo paretur:

Emplastrum Hyoscyami.

Bilsenkrautpflaster.

ex herba Hyoscyami.

Emplastrum Meliloti.

Melilotenpflaster.

ex herba Meliloti cum floribus.

Sint molliuscula, obscure virentia, quodvis peculiaris odoris herbae.

□ Emplastrum Conii cum Ammoniaco.

(Emplastrum de Cicuta cum Ammoniaco.)

Schierlings - Ammoniakpflaster.

Paratur, si Unciis novem Emplastri Conii Unciae tres Ammoniaci depurati cum Terebinthinae venetae sufficiente quantitate liquati admiscentur.

□ Emplastrum foetidum.

(Emplastrum resolvens.)

Stinkpflaster.

Rc. Ammoniaci depurati Uncias duodecim,
Asae foetidae depuratae Uncias quatuor.
Super lenem ignem emollitis immisce
Saponis hispanici pulverati Uncias duas,
Olei Olivarum Unciam,
ut fiat Emplastrum. Serva loco frigido.

Sit e griseo fuscum, molliusculum, asam foetidam redolens.

□ Emplastrum de Galbano crocatum.

Safranhaltiges Mutterharzpflaster.

Rc. Emplastri Lithargyri simplicis,
Meliloti,
Cerae flavae, singulorum Uncias sex.
Liquatis et semirefrigeratis adde
Galbani depurati Uncias sex
cum
Terebinthinae venetae Uncia et dimidia
calore liquefactas. Mixtis adde
Croci pulverati Unciam.
Fiat secundum artem Emplastrum.

Sit ex aurantiaco fuscum, duriusculum, leni calore ductile, telae adhaerens, odore Galbani et Croci.

Emplastrum griseum seu de Lapide calaminari.

Galmeipflaster.

Rc. Emplastri Lithargyri simplicis,
Pulveris subtilissimi Lapidis calaminaris,
singulorum Libram cum dimidia,
Cerae flavae Uncias sex,

Sebi ovilli,
Terebinthinae communis, singulorum Unciam cum dimidia.

Debito ordine commisceantur, et colliquentur, ut fiat Emplastrum.

Sit griseum, justae consistentiae.

Emplastrum Hydrargyri.

(Emplastrum mercuriale.)

Quecksilberpflaster.

Rc. Emplastri Lithargyri simplicis Libras duas,
Cerae flavae Uncias sex.

Liquentur leni calore, dein ab igne remotis adde
Hydrargyri depurati Uncias octo

in

Terebinthinae communis Unciis quatuor,

antea diligenter agitando extinctas. Misce exacte, ut fiat Emplastrum.

Sit cinereum, absque globulis Hydrargyri conspicuis, molliusculum.

Emplastrum de Lapide calaminari vid. Empl. griseum.

□ Emplastrum Lithargyri compositum.

(Emplastrum Diachylon compositum.)

Zusammengesetztes Bleiglättepflaster.

Rc. Emplastri Lithargyri simplicis Libras quatuor,
Cerae flavae Libram dimidiam.

In aheno cupreo liquatis, et aliquantulum refrigeratis, sub perpetua agitatione admisce
Ammoniaci depurati,
Galbani depurati, singulorum Uncias quatuor, in
Terebinthinae communis Unciis quatuor solutas. Fiat lege artis Emplastrum.

Sit fusco-flavum, ductile, tenaciter adhaerens, galbanum redolens.

□ Emplastrum Lithargyri simplex.

(Emplastrum Diachylon simplex.)

Einfaches Bleiglättepflaster.

Rc. Lithargyri subtilissime pulverati Libras quinque,
Olei Olivarum Libras novem.

Coque in aheno cupreo, moderato igne, spathula semper agitando, et pauxillum aquae communis calidae subinde instillando, donec Lithargyrum bene solutum fuerit, et massa sit Emplastri consistentiae. Malaxetur, aquae ope, in magdaleones.

Sit lateritio-album, non unguinosum, frigidum fragile, calore mollitum telae valde agglutinans, nec in illo lithargyri non soluti vestigia conspiciantur.

□ Emplastrum Minii adustum seu fuscum.

(Emplastrum Matris. E. noricum.)

Gebranntes Mennig- oder braunes Pflaster.

Rc. Olei Olivarum Libram,
Minii subtilissime pulverati Uncias octo.

Coque sub continua agitatione, ut fuscum colorem et molliorem consistentiam acquirant, tum semirefrigeratis admisce

Cerae flavae Unciam cum dimidia,
Camphorae cum pauxillo Olei Olivarum contritae Drachmas duas.

Effunde in capsulas papyraceas.

Sit coloris fusci, consistentiae cerati tenacioris, camphoram valde redolens.

Emplastrum opiatum.

(Emplastrum cephalicum.)

Opiumpflaster.

Rc. Terebinthinae communis Drachmas tres,
Elemi,
Olei Olivarum provincialis, singulorum Drachmam.

In balneo aquae liquatis adde
Masticheș,
Olibani, singulorum pulveratorum Drachmas duas,
Benzoës pulveratae Drachmam.

Dein in massam homogeneam redactis admisce
Opii pulverati Drachmam dimidiam.

Fiat Emplastrum. Serva in loco frigido.

Sit colore fusco-nigro, calore tenax.

□ Emplastrum saponatum.

(Emplastrum miraculosum.)

Seifenpflaster.

Rc. Emplastri Lithargyri simplicis Uncias tres,
Cerae flavae Libram dimidiam.

Leni igne liquefactis, sub perpetua agitatione, sensim admisce
Saponis hispanici pulverati Uncias quatuor,

tum aliquantulum refrigeratis admisce

Camphorae cum Olei Olivarum pauxillo contritae Unciam dimidiam

ut fiat Emplastrum. Serva bene.

Sit albescens, molliusculum, non lubricum, camphoram redolens.

Emplastrum sulphuratum.

(Emplastrum nigrum sulphuratum.)

Schwefelpflaster.

Rc. Colophonii Uncias quatuor cum dimidia.

Liquatis et aliquantulum refrigeratis immisce

Asphalti,

Myrrhae, singulorum pulveratorum Unciam.

Adde

Ammoniaci,

Galbani, singulorum depuratorum Unciam cum dimidia,

in

Terebinthinae communis Uncia cum dimidia solutas.

Sub agitatione affunde

Olei Lini sulphurati,

Terebinthinae, singulorum Uncias duas.

Sub finem immisce

Camphorae cum pauxillo Olei Olivarum contritae Drachmas tres.

Fiat Emplastrum, in vasis clausis servandum.

Sit molle, nigro-fuscum, sulphur hydrogenatum redolens.

Emulsio ammoniacalis vid. Lac Ammoniaci.

Emulsio Amygdalarum.

Mandelmilch.

Rc. Amygdalarum dulcium Partes duas.

Contunde in mortario lapideo cum pauxillo Aquae fontanae ad pultem tenerrimam usque, tunc affunde sensim agitando

Aquae fontanae Partes sedecim.

Cola per linteum, in colatura solve

Sacchari albi Partem unam.

Paretur ex tempore.

Eodem modo paretur:

Emulsio ex Seminibus Papaveris albi.

Emulsio Amygdalarum composita.

Zusammengesetzte Mandelmilch.

Rc. Amygdalarum dulcium Unciam dimidiam,
Seminum Hyoscyami Drachmam unam.

Fiat cum

Aquae Amygdalarum dilutae Unciis octo
lege artis Emulsio. Colaturae admisce
Sacchari albi Drachmas sex,
Magnesiae ustae Drachmam.

Paretur ex tempore.

Emulsio Asae foetidae vid. Lac Asae foetidae.

Emulsio guajacina.

Guajakemulsion.

Rc. Resinae Guajaci nativae Unciam dimidiam.

Terendo optime cum

Gummi arabici Drachmis duabus
sensim addantur

Aquae Menthae piperitae Unciae novem,
Sacchari albi Uncia cum dimidia.

Paretur ex tempore.

□ Extractum Absinthii.

Wermuthextract.

Rc. Summitatum Herbae Absinthii recens siccatarum et minutim concisarum quantum vis.

Cum Aquae communis bullientis sufficiente quantitate in pultem fluidam redactae stent per viginti quatuor horas in dolio subinde agitando. Tunc pultem sacculis linteis inclusam prelo ferreo exprime, et residuum denuo macerationi duodecim horarum et expressioni subjice. Omnia expressa mixta stent per noctem in vasis terreis vitreatis vel ligneis, ut sedimentum de illis secedat, dein per pannum colentur, et leni igne in cupreis stanno bene obductis vasis inspissentur. Ad syrupi consistentiam redacta in vase porcellaneo, vel stanneo, in balneo vaporis sub continua agitatione cum spathula porcellanea inspissentur ad mellis spissioris (ordinariam extracti) consistentiam. Extractum refrigeratum in olla murrhina vel porcellanea, charta cerata obtecta, servetur.

Eadem ratione parentur et serventur:

□ Extractum Cardui benedicti.

Cardobenedictenextract.

ex herba siccata.

□ Extractum Centaurii minoris.

Tausendgüldenkrautextract.

ex herba florente siccata.

Extractum Chamomillae vulgaris.

Kamillenextract.

ex floribus.

Extractum Fumariae.

Erdrauchextract.

ex herba subflorente siccata.

□ Extractum Gentianae.

Enzianextract.

ex radice Gentianae rubrae.

Extractum Marrubii albi.

Weissandornextract.

ex herba subflorente siccata.

□ Extractum Millefolii.

Schaafgarbenextract.

ex herba et summitatibus siccatis.

Extractum Saponariae.

Seifenwurzelextract.

ex radice.

Extractum Tanaceti.

Rainfarrnextract.

ex herba et summitatibus siccatis.

□ Extractum Taraxaci.

Löwenzahnextract.

ex radice et herba recenti.

□ Extractum Trifolii fibrini.

Bitterkleeextract.

ex herba siccata.

Omnia haec extracta e fusco nigra sint, extractum Fumariae plerumque crystallos immixtas habet, omnia quoque in aqua solubilia sint, solutione fusca aut e fusco flavescente et aliquantulum turbida, affuso liquore ferri muriatici oxydati colorem parum mutent, excepta solutione extracti Trifolii fibrini, quae obscure viridem colorem induit, et sedimentum paris coloris demittit. Saporem vegetabilium retineant, et, quantum fieri potest, etiam odorem.

□ ††† Extractum Aconiti ex herba recenti seu Succus inspissatus.

Eisenhütleinextract aus frischem Kraut.

Rc. Herbae Aconiti recentis, incipiente florescentia collectae quantum libet.

Incisam contunde in mortario lapideo, addendo aquae communis quantum satis, tunc succum exprime, et residuum denuo eadem ratione tracta. Succus expressus in lebete stanneo balneo aquae impositus ita incalescat, ut ebullire incipiat, tum colando a faecibus separetur, quae

seponantur. Fluidum remanens ad syrupi spissitudinem evaporet, tunc faeculam leni calore siccatam et accurate contritam adde, et extractum assidue agitando cum pistillo ligneo ad consistentiam massae pilularis mollioris redige. Extractum refrigeratum in vase porcellaneo vel murrhino charta cerata obducto caute serva.

Eodem modo paretur:

††† Extractum Belladonnae.

Tollkirschenextract.

ex herba recenti, incipiente florescentia collecta.

Extractum Chelidonii.

Schöllkrautextract.

ex herba recenti cum radice.

□ ††† Extractum Conii maculati.

Schierlingsextract.

ex herba recenti incipiente florescentia collecta.

Extractum Digitalis purpureae.

Rother-Fingerhutextract.

ex herba recenti.

††† Extractum Gratiolae.

Gottesgnadenkrautextract.

ex herba recenti.

□ ††† Extractum Hyoscyami.

Bilsenkrautextract.

ex herba recenti incipiente florescentia collecta.

††† Extractum Lactucae virosae.

Giftlattigextract.

ex herba recenti incipiente florescentia collecta.

††† Extractum Stramonii.

Stechapfelextract.

ex herba recenti.

Omnia haec extracta colorem habeant obscurum virescentem, saporem herbae, extractum Belladonnae, Conii maculati, Hyoscyami et Stramonii odorem quoque vegetabilium, nauseosum, cuivis peculiarem, e quibus praeparata sunt. Solutionem tantum turbidam cum aqua praebeant. Extractum Hyoscyami, quod odorem ammoniacalem spirat, rejiciatur. Ne extracta, quae annum excesserunt, adhibeantur.

Nota. *Cum in nostra regione herba Aconiti et Digitalis purpureae non nisi ex hortis colligi possunt, quae efficacia iisdem vegetabilibus haud cultis multum cedunt, loco Extracti ex herba recenti parati, ex herba siccata, quae ex loco natali comparari debet, Extractum paretur, et quidem eadem ratione ut Extractum Angelicae.*

Extractum Aloës.

Aloëextract.

Rc. Aloës lucidae Libram dimidiam.
In pulverem redactae affunde
Aquae destillatae Libras duas.

Macera per quadraginta octo horas saepius agitando, et liquor subsidendo depuratus et colatus in patina porcellanea balneo vaporis imposita lege artis ad eam densitatem redigetur, ut pulverari queat. Serva in vitro.

Sit coloris fusci, madefactum colore flavo inquinans, saporis et odoris Aloës.

Eodem modo parentur:

□ Extractum Myrrhae.

Myrrhenextract.

quod sit e rufo fuscum, in marginibus pellucens, in aqua solutione fere limpida solubile, odoris et saporis Myrrhae.

Extractum Opii.

Opiumextract.

quod sit fuscum, impolitum, madefactum colore flavo-fusco inquinans, odore, praesertim vero sapore Opii, et solutionem aquosam praebens, quae solutioni ferri muriatici oxydati satis dilutae, ut fere incolor sit, addita illam colore fusco-rubro tingat. Caute serventur in vitris.

Extractum Angelicae.

Engelwurzelextract.

Rc. Radicis Angelicae siccatae Libram.

Grossiuscule contusae affunde

Spiritus vini rectificati Libras quatuor.

Digere per triginta sex ad quadraginta octo horas, exprime, et liquorem expressum ac filtratum sepone.

Residuo affunde

Aquae communis fervidae Libras octo,

et sepone per triginta sex ad quadraginta octo horas subinde agitando. Exprime. Tum liquori aquoso, modico calore ad tertiam partem redacto, et refrigerato admisce

Spiritum vini rectificatum,

quamdiu inde turbatur. Sepone donec miscela limpida fuerit, tum decanthatione et colatione a sedimento liberata et admixta tinctura supra dicta blanda destillatione spiritum vini elice. Residuum tandem in balneo vaporis in patina porcellanea vel murrhina ad extracti normalem spissitudinem evaporet. Serva in vase porcellaneo charta cerata obtecto loco sicco.

Eodem modo parentur:

Extractum Arnicae.

Wohlverleihextract.

ex radice Arnicae.

Extractum Aurantiorum.

Pomeranzenextract.

ex corticibus Aurantiorum.

Extractum Calami aromatici.

Kalmusextract.

ex radice Calami aromatici.

□ Extractum Chinae spirituosum.

Geistiges Chinaextract.

ex cortice Chinae fuscae.

Extractum Colocynthidis.

Koloquintenextract.

ex pulpa absque seminibus.

Extractum Colombo.

Colomboextract.

ex radice.

□ Extractum Enulae.

Alantextract.

ex radice.

Extractum Hellebori nigri.

Schwarze-Nieswurzextract.

ex radice.

Extractum Pimpinellae.

Bibernellextract.

ex radice.

Omnia haec extracta sint colore e nigricante fusco, exceptis extracto *Colombo*, cujus color minus obscurus, in virescentem paullulum vergens, et extracto *Calami aromatici*, cujus color in fusco-rubrum vergit, insignia sint odore et sapore vegetabilis, ex quo parata sunt, et cum aqua solutionem praebeant turbidam.

□ Extractum Cascarillae.

Caskarillenextract.

Rc. Corticis Cascarillae minutim contusi Libram,
Aquae communis ferventis Libras tres.

Post lenem ebullitionem per aliquot minuta exprimendo cola.

Residuum coquatur iterum leniter cum

Aquae communis Libris tribus,

et exprimatur liquor, idque iteretur, donec aqua nullum saporem inde extrahat. Liquores sic obtenti commixti subsidentia et decanthatione depurati evaporent ad remanentiam Librarum trium, quas in vase porcellaneo balneo vaporis exposito ad extracti spissitudinem normalem redige. Serva bene in olla porcellanea vel murrhina charta cerata obducta.

Sit obscure fuscum, saporis Cascarillae, in aqua solubile solutione turbida.

Eodem modo parentur et serventur:

□ Extractum Chinae fuscae aquosum.

Wässriges Braunchinarindenextract.

ex cortice Chinae fuscae.

Sit coloris fusci, saporis Chinae fuscae, solutione in aqua turbida e fuscescenti albida.

Extractum Chinae regiae aquosum.

Wässriges Königschinarindenextract.

e cortice Chinae regiae.

Sit coloris e rufo fusci, saporis Chinae regiae, solutione in aqua turbida, e fuscescenti albida.

Extractum Dulcamarae.

Bittersüssstengelextract.

e stipitibus Dulcamarae.

Sit fuscum, saporis primum dulcis, tum amari.

Extractum Quassiae.

Quassienextract.

ex ligno.

Sit coloris e griseo fusci, crystallulis saepe immixtis, saporis peramari, solutione in aqua turbida, affuso liquore ferri muriatici colorem non mutante.

Extractum Chinae fuscae frigide paratum.

Kalt bereitetes Chinaextract.

Rc. Corticis Chinae fuscae pulverati Libras duas,
Aquae communis Libras duodecim.

Macerentur, subinde fortiter agitatae, per horas quadraginta octo. Residuum expressum macera denuo cum

Aquae communis Libris octo,

cola et exprime. Liquores commixtos ad subsidentiam sepone, et filtra, dein in catino stanneo balneo vaporis imposito leni igne evaporent, ita ut remaneat Libra una cum dimidia, refrigeratum liquorem per chartam bibulam filtra, et in patina porcellanea vel murrhina ope balnei vaporis ad extracti normalem consistentiam inspissetur. Serva in olla porcellanea charta cerata obtecta.

Sit fuscum, saporis Chinae fuscae, cum aqua solutionem limpidam rufo-fuscam praebens.

Eadem ratione paretur:

Extractum Chinae regiae frigide paratum.

Kalt bereitetes Königschinarindenextract.

ex cortice Chinae regiae.

Sit priori simile, sed coloris minus obscure fusci.

□ Extractum Valerianae frigide paratum.

Kalt bereitetes Baldrianextract.

ex radice Valerianae silvestris.

Sit fuscum, odoris peculiaris radicis Valerianae, solutione in aqua subturbida fusca.

□ ††† Extractum Conii siccatum.

Getrocknetes Schierlingsextract.

Extractum Conii maculati modo supra memorato ad syrupi consistentiam redactum et cum faecula mixtum super patinas porcellaneas tenui strato expansum in loco non nimis calido aut solis radiis ad siccitatem redigatur. Contritum serva in vitro clauso.

Sit pulvis grumosus, e fusco viridis, siccus, odoris insignis Conii.

Eadem ratione paretur:

□ ††† Extractum Hyoscyami siccatum.

Getrocknetes Bilsenkrautextract.

Sit priori simile, sed odoris Hyoscyami peculiaris.

Nota. *Medici si haec extracta adhibere intendunt, nunquam negligant, addito vocabulo siccatum illa designare. Deficiente hoc adjectivo*

pharmacopola Extractum normalis consistentiae dispenset.

Extractum Ferri pomatum.

(Extractum Martis pomatum.)

Aepfelsaures Eisenextract.

Rc. Limaturae Ferri purae Libram dimidiam,
Succi Pomorum acidulorum recenter expressi ac colati Libras sex.

Assidue agitata digere loco tepido per aliquot dies, dein in aheno ferreo coquantur leni igne ad dimidiae partis consumtionem. Liquor per linteum colatus subsidendo et decanthatione depuratus in balneo vaporis ad extracti normalem consistentiam redigatur.

Sit colore e virescenti nigro, in aqua solutione limpida obscure fusca solubile, saporis dulcis demum valde austeri, odoris suavis nec acidi.

Eodem modo cum Succo Cydoniorum paretur:

Extractum Ferri cydoniatum.

(Extractum Martis cydoniatum.)

Mit Quittensaft bereitetes Eisenextract.

□ Extractum Graminis liquidum.

(Mellago Graminis.)

Queckendicksaft.

Rc. Radicum Graminis recentium Libras duodecim.

Concisas contunde in mortario lapideo aut ferreo addendo sensim

Aquae communis Libras novem.

Exprime succum, quem subsidendo depuratum ad separationem substantiae albuminosae usque decoque, cola, et leni calore ad mellis recentis spissitudinem redige. In vase porcellaneo aut murrhino charta cerata obtecto loco temperato serva.

Sit fuscum, cum aqua solutionem limpidam luteo-fuscam praebens, saporis grate dulcis, odoris suavis nec acidi.

Eodem modo paretur et servetur:

□ Extractum Taraxaci liquidum.

(Mellago Taraxaci.)

Löwenzahndicksaft.

ex radice cum herba juniori recentibus.

Sit fuscum, saporis subdulcis, amaricantis, nec acidi, et solutionem in aqua limpidam praebeat, cujus color fuscus addito liquore ferri muriatici in viridem mutetur.

Nota. *Haec extracta ita quoque parari possunt, ut succi Graminis et Taraxaci ex vegetabilibus recentibus expressi ad consistentiam Extracti normalem redigantur, et cum sub forma Extracti liquidi praescribantur, cum aquae quantitate sufficiente diluantur, ut consistentiam mellis recipiant.*

□ Extractum Nucum Juglandum.

Wallnussextract.

Putamina recentia Nucum Juglandum,

cum

Aquae communis tantillo mixta,

contundantur in vase lapideo vel ligneo. Liquor inde expressus balneo vaporis ad mellis spissitudinem redigatur.

Sit obscure fuscum, saporis non ingrate austeri, subamaricantis.

††† Extractum Nucum vomicarum spirituosum.

Geistiges Krähenaugenextract.

Rc. Nucum vomicarum raspatarum quantum placet,

Spiritus vini rectificatissimi quantum sufficit,

ad rasuram contegendam. Digere per triginta sex horas, vas subinde agitando. Tum decanthato liquore residuum exprime. Digestionem nova quantitate spiritus affusa repete, donec hic nullo calore et parum tantum adhuc sapore inficiatur. Liquores mixtos per chartam bibulam filtratos subjice destillationi ad sextae partis remanentiam, quae dein in balneo vaporis ad massae pilularis consistentiam evaporet. Caute serva in olla porcellanea.

Sit coloris fusci, solutione in aqua turbida, quae filtrata affusis nonnullis guttis liquoris ferri muriatici colorem luteo-viridem induat, et tinctura gallarum sedimentum ex albo flavescens demittat, saporis amarissimi.

□ Extractum Rhei seu Rhabarbari.

Rhabarberextract.

Rc. Radicis Rhei chinensis contusae Libram,
Aquae communis fervidae Libras sex.

Macerentur per viginti quatuor horas, tum infusum cola. Residuum denuo

Aquae fervidae Libris quatuor

per par tempus maceratum leniter exprime. Infusa mixta ad deponendum sepone, et tum decanthata et colata in balneo vaporis ad siccum evaporare fac. Serva vase probe obturato.

Sit fuscum, solutione in aqua parum turbida obscure e rufo fusca, saporis et odoris radicis Rhei.

□ Extractum Rhei compositum.

(Loco Extracti catholici et panchymagogi.)

Zusammengesetztes Rhabarberextract.

Rc. Extracti Rhei Uncias tres,
Aloës Unciam.

Leni calore in Aquae destillatae sufficiente quantitate solutis admisce

Saponis jalapini Unciam,
in
Spiritus vini quantitate sufficiente
solutam. Tum in balneo vaporis agitando ad massae pilularis spissitudinem redige.

Sit coloris e nigrescente fusci, solutione in aqua turbida fusco-flava.

Nota. *Omnia extracta cupro, quod negligentia forsan e vasis illis admisceri posset, libera sint, quod ferro polito per sufficiens tempus solutioni extracti immisso cupro praecipitato detegitur, si liquor ammonii caustici, quo stratum tenue fuscum ferrum obtegens abluitur, ab hoc sub accessu aëris atmosphaerici colorem cyaneum recipit.*

Farina Hordei praeparata.

Gerstenkraftmehl.

Rc. Farinae Hordei quantum lubet.

Immitte in saccum linteum, et ligatura ita claude, ut inter farinam et ligaturam spatium quatuor circiter pollicum sit. Saccum tum in aheno cupreo, stanno obducto, et aqua repleto, eo modo suspende, ut aqua tegatur, et nullibi aheni parietes attingat. Aqua nunc coquatur per quatuordecim horas sine interruptione, lebete

semper aqua bene repleto. Massam tunc farinaceam in patinam excute, ejusque partem exteriorem griseam lubricam cultro egregie scindente aufer, interiorem massam calore 30 ad 40° sicca, et nova crusta fusca subcornea ademta partem remanentem farinosam in pulverem redige, et vase clauso, loco sicco, serva.

Sit pulvis farinosus, leviter e luteo rubescenti albus, saporis farinosi, subdulcis, mucilaginosi, in aqua etiam coquendo non solubilis.

Fel Tauri inspissatum.

Eingedickte Ochsengalle.

Fel Tauri recens colatum in balneo vaporis ad extracti normalem spissitudinem evaporet. Servetur loco frigido in vasis bene clausis.

Sit coloris e fuscescenti viridis, in aqua solutione limpida virescenti solubile, saporis primum dulcis tum amari, inodorum, cupro non inquinatum.

□ Ferrum muriaticum oxydatum.

(Sal Martis. Bichloretum Ferri.)

Salzsaures Eisenoxyd.

Rc. Acidi muriatici diluti quantum libet.

Ingere cucurbitae vitreae, et adde per vices

Limaturae Ferri puri quantitatem sufficientem

ad acidi saturationem. Liquor tunc in catinum ferreum effundatur, denuo cum limatura Ferri puri per horam coquatur ac dein filtretur. Filtratum evaporet, donec gutta marmori instillata in massam crystallinam duram abeat. Tum catinum ab igne repone, et massam salinam tam diu agita, donec refrigerata concrescat, quae contrita retortae vitreae loricatae amplioris colli, ad tres quadrantes voluminis implendae immittatur. Excipulo sine luto apposito incalescat retorta, caute libero igni idonea encheiresi exposita ad expellendum liquorem acidum, quo facto excipulum removeatur, ac igne sensim aucto sublimatio instituatur. Sublimatum collo retortae insidens suo tempore ope bacilli ferrei incurvi plani eximatur, et statim vasi intus bene siccato immittatur. Hac encheiresi perge, donec non amplius sublimatum in collo retortae appareat, et retorta bene excandescat. Retortam obturaculo cretaceo claude, ac semirefrigeratam confringe, sublimatum densum exime, cum primo obtento in mortario calefacto cito contere, et in vitra parva intus bene siccata ingere, quae bene obturata loco sicco serventur.

Sint uti e collo retortae eximuntur squamulae tenues, fusco-nigrae, micae ferri similes, splendoris semimetallici, atmosphaerae attactu deliquescentes, liquorem obscure fuscum, croceo colore depingentem, praebentes, in spiritu vini rectificatissimo solubiles. Contritae pulverem e rufo fuscum referunt.

□ Ferrum oxydatum fuscum.

(Crocus Martis aperitivus. Ferrum carbonicum. Hydras ferricus cum Carbonate ferroso.)

Braunes Eisenoxyd.

Rc. Ferri sulphurici crystallisati quantum vis.
Solve in
Aquae fontanae fervidae quantitate majori
quam pro solutione exacte requiritur. Filtra, et instilla solutioni adhuc calidae
Solutionem Natri carbonici crudi in Aqua fervida,
quamdiu praecipitatum inde efficitur, quod filtro separetur, et aqua communi fervida sedulo et sub finem spiritu vini rectificatissimo edulcoretur, cito inter chartam bibulam leni calore siccetur, et in vase bene clauso servetur.

Sit pulvis subtilissimus, rufo-fuscus, inodorus, insipidus, acido muriatico superfuso effervescat, ac totus sine ope caloris solvatur. Aqua destillata cum illo digesta et tum filtrata a liquore barytae muriaticae vix et ab aqua calcis minime turbetur.

Ferrum oxydatum rubrum.

(Crocus Martis adstringens. Oxydum ferricum.)

Rothes Eisenoxyd.

Rc. Ferri sulphurici crystallisati Partes duodecim,
Kali nitrici depurati Partem.

Immitte in crucibulum, et igne primum leniori dein fortiori ure, donec vapores ascendere desierint, et massa colorem rubrum induerit. Post refrigerationem massa ope aquae destillatae coquendo et abluendo a partibus salinis liberetur, et bene siccata in vitro servetur.

Sit pulvis subtilissimus, e fusco rufus, inodorus et insipidus, in acido muriatico totus, sed tantum ope caloris solubilis.

Ferrum oxydulatum nigrum.

(Aethiops martialis. Oxydum ferrosum.)

Schwarzes Eisenoxydul.

Rc. Limaturae Ferri puri quantum libet.

Trajice per subtile cribrum setaceum, et in patina testacea vitreata tam diu cum aqua destillata bene agitando ablue, donec haec pura defundi possit. Inclinetur tum patina, ut omnis aqua limaturae ferri supernatans defluere possit. Mox limatura Ferri seposita in superficie aspectum Croci Ferri induet, sed sollicita agitatione cum spathula ferrea, et subinde addita aqua destillata, ut limatura semper humectata sit, color ochraceus mox in colorem nigrum mutatur. Hac operandi ratione per plures dies imo septimanas sollicite continuata in superficie stratum oxyduli Ferri sub aspectu pulveris subtilis nigri formatum erit, quod ope elimationis a reliqua limatura Ferri separetur, in filtro collectum inter chartam bibulam exsiccatum alcohole abluatur, et iterum exsiccetur. Quae operatio cum reli-

qua limatura Ferri eadem encheiresi repetatur, donec omne Ferrum excepta parca quantitate materiae graphiticae residua in pulverem nigrum mutatum sit. Serva in vase clauso.

Sit pulvis subtilissimus, coloris nigri, in acido muriatico sine residuo et haud difficulter solubilis, solutione e viridi flava, quae cum reagentibus ferrum oxydulatum quoad maximam partem prodit.

□ Ferrum pulveratum.

(Limatura Martis praeparata.)

Pulverisirtes Eisen. Zubereitete Eisenfeile.

Rc. Limaturae Ferri puri quantum libet.

Conteratur in mortario ferreo. Quo facto pulvis subtilissimus, inde exortus, per linteum arctioris texturae separandus, et vitro obturato servandus est.

Sit pulvis subtilissimus, coloris ferri limati, metallice nitens, nulla rubigine contaminatus, ceterum chemice ut ferrum purum se habens.

Ferrum sulphuratum.

(Sulphuretum Ferri.)

Schwefeleisen.

Limatura Ferri cum Sulphuris depurati aequo pondere stratum super stratum crucibulo immittatur, crucibulum inter prunas reponatur, et incandescat,

donec Sulphur superfluum deflagraverit, et massa liquefacta fuerit, quam in frustula comminutam in vase bene clauso serva.

Sit coloris nigri et infuso acido sulphurico diluto gas hydrosulphuratum odore facile dignoscendum emittat.

□ Ferrum sulphuricum crystallisatum.

(Vitriolum Martis factitium. Sulphas ferrosus cum Aqua.)

Krystallisirtes schwefelsaures Eisen.

Rc. Acidi sulphurici crudi (anglici) Uncias duodecim.

In cucurbita vitrea

Aquae fontanae quadruplo

dilutis successive immitte

Ferri malleati in frustulis tantum

ut ultima pars Ferri non soluta remaneat. Tum filtra et lege artis liquorem in crystallos redige. Serva in vasis bene obturatis.

Referat crystallos prismatico-rhomboides, aut truncatas, aut tetragonaliter acuminatas, splendidas, diaphanas, coloris dilute prasini, neutiquam flavescentis vel ferruginei, saporis styptici, in aquae partibus duabus solubiles.

Nota. *Omnia praeparata ferri hic recensita sint cupro plane libera, quod dignoscitur solutione*

in aqua aut in acido muriatico pervadente gas hydrothionico, quo, si oxydum cupri adest, praecipitatum fuscum exoritur, aut certe solutio satis diluta, ut fere coloris expers sit, colorem fuscum induit.

Fumigationes oxymuriaticae.

(Fumigationes Chlori.)

Oxydirtsalzsaure oder Chlorräucherungen.

Rc. Mangani hyperoxydati nativi subtilissime pulverati Unciam cum dimidia,
Salis communis siccati Uncias tres.

Exacte misceantur.

Acidi sulphurici anglici Uncias duas,
Aquae communis quantitate aequali dilutas.

Dispensentur seorsim prior miscela in charta, acidum in vitro, vel conjunctim solummodo in vase solido bene obturato.

Praeparetur ex tempore.

Gelatina Cornu Cervi.

Hirschhorngallerte.

Rc. Cornu Cervi raspati, aqua calida aliquoties eloti, Libram dimidiam,
Aquae communis Libras septem.

Ad modicum ignem concoquantur in vase tecto per septem vel octo horas; liquori, per pannum laneum colato, etiamnum calenti admisceantur

Sacchari albi Unciae duae,
Vini rhenani,
Succi Fructuum Citri, singulorum Uncia dimidia.

Reponatur loco frigido, ut fiat Gelatina.

Paretur ex tempore.

Gelatina Lichenis islandici edulcorata.

Versüsste isländische Moosgallerte.

Rc. Lichenis islandici concisi Unciam cum dimidia.

Infunde Aquae communis fervidae, in qua Kali carbonici depurati Drachma soluta est, quantitate sufficiente et per nycthemeron macera. Liquido dein defuso Lichen a Kali carbonico adhaerente repetita maceratione in aqua frigida abluatur, et tum coquatur cum

Aquae communis Libris duabus,

donec post debitam expressionem per linteum liquoris Unciae sex supersint; tum adde

Sacchari albi Uncias quatuor,

et coque in syrupum, qui despumatus et colatus refrigeratione in gelatinam cogatur.

Paretur ex tempore.

Nota. *Si medicus Gelatinam Lichenis islandici principio amaro adhuc nuptam desideret, tum praescribat*

Gelatinam Lichenis islandici amaram,

quae a pharmacopola haud praemissa extractione principii amari ope Kali carbonici, nec addito Saccharo paretur.

□ Glandes Quercus seu quernae tostae.

Geröstete Eicheln.

Rc. Glandium Quercus quantum vis.

Decorticatae, quadrifariam dissectae et in cribro leni fornacis calore siccatae in vase ferreo semper agitando torreantur, donec fuscae et fragiles sint. Sic tosti nuclei in mortario vel ope molae minoris domesticae in pulverem redigantur, qui pulvis in vase fictili probe compressus servetur.

Sit pulvis fuscus, odoris subempyreumatici, coffeae tostae propinqui, saporis paris, dulciusculi vix styptici.

□ Globuli Tartari martiati.

(Globuli martiales. Globuli Tartratis ferrici.)

Weinstein-Eisenkugeln.

Rc. Ferri limati puri Uncias quatuor,

Tartari crudi pulverati Uncias sedecim.

Mixta in vase figulino vitreato humectentur, ut fiat massa pultiformis, quam in aquae balneo digestam post evaporationem aquae iterum humecta, et digere, idque toties repete, donec massa resinosa quasi appareat, tunc formentur globuli ponderis Unciae unius, et tenuiter pauxillo mucilaginis Gummi arabici illiniti, ut post exsiccationem quasi tenui vernice obducti sint, in vase clauso loco sicco serventur.

Sint coloris nigerrimi, nitentes, fracturae cereo-splendentis, aequalis, a punctis aut maculis ochraceis et rimis liberi. Cum partibus octo decemve aquae bullientis mixturam nigrescentem praebeant, residuo parco relicto.

□ ††† Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.

(Mercurius praecipitatus albus. Hydrochloras hydrargyricus cum Oxydo hydrargyrico ammoniato.)

Weisser Quecksilberniederschlag.

Rc. Hydrargyri muriatici corrosivi venalis,
Ammonii muriatici depurati, singulorum Uncias octo.

Solve in

Aquae destillatae fervidae Libris octo.

Liquori refrigerato ac filtrato sensim admisce

Natrum carbonicum crudum in Aquae destillatae quantitate sufficiente solutum,

quamdiu praecipitatum albissimum inde producitur. Hoc, fluido claro defuso, aqua destillata frigida probe edulcora, et inter chartam bibulam calore 15 — 20° loco obscuro bene exsicca, in pulverem redige ac in vitro bene obturato contra lucem munito serva.

Sit pulvis albissimus, vix palpabilis, valde depingens, in acido nitrico penitus solvendus, cum liquore Kali caustici flavescens et odorem Ammonii eructans, flamma tubi ferruminatorii aestuatus plane avolans.

††† Hydrargyrum cyanatum.

(Cyanidum Hydrargyri.)

Quecksilbercyanid.

Rc. Kali borussici venalis subtiliter pulverati Drachmas quindecim.

In retortam vitream tubulatam satis capacem, ut a tota miscela tantum ad dimidium impleatur, ingestis superfunde

Acidi sulphurici crudi (anglici) Drachmas tredecim

cum

Aquae destillatae Unciis duodecim

antea dilutas et cauta actione retortae cum pulvere intime misce. Tum adaptato excipulo Uncias quatuor Aquae destillatae continente et juncturis ope luti farinacei et vesicarum probe clausis fiat destillatio leni igne ad siccum. Acidum hydrocyanicum sic obtentum, ex

excipulo omni cautela exemtum, repositis circiter Drachmis duabus, conquassa sollicite cum

Hydrargyri oxydati rubri subtilissime pulverati Unciis duabus

in cucurbitam ingestis, donec nihil amplius solvatur, tum filtra, liquori filtrato Drachmas duas prius repositas adde, illumque evaporatione et refrigeratione lege artis in crystallos redige.

Sint crystalli albae, rectangulari-prismaticae, subadamantino-splendentes, in aquae octo partibus sine residuo solubiles, in spiritu vini rectificatissimo insolubiles, flamma tubi ferruminatorii primum nigrescentes denique sine remanentia diffugiendae.

□ Hydrargyrum depuratum.

(Mercurius vivus depuratus.)

Gereinigtes Quecksilber.

Rc. Hydrargyri Libras duas.

Immitte retortae arenae balneo impositae satis capaci, ita ut tertia ejus pars vacua supersit, et adde fila ferrea torta sufficiente quantitate ut superficies Hydrargyri quantum fieri potest illis obtecta sit. Tunc retortam excipulo ea aquae copia repleto insere, ut rostrum retortae superficiem aquae fere attingat. Tum ignem caute intende, ut Hydrargyrum ebulliat, et sic perge, usque dum Unciae viginti Hydrargyri transierint, quae ab aqua separatae et siccatae per cuculum chartaceum perfundantur, et in vitro bene obturato serventur.

Physice et chemice aeque se habeat, ut de Hydrargyro venali puro dictum est.

□ ††† Hydrargyrum muriaticum corrosivum.

(Mercurius sublimatus corrosivus. Bichloretum Hydrargyri.)

Aetzendes salzsaures Quecksilber. Quecksilbersublimat.

Rc. Hydrargyri depurati Uncias duodecim.

Immitte in retortam vitream et affunde

Acidi sulphurici crudi (anglici) Uncias duodecim,

et fiat destillatio in balneo arenae ad siccitatem plenariam. Massam remanentem albam tritam caute misce cum

Salis communis decrepitati pari pondere.

Dein e cucurbita vitrea ad tertiam tantum partem repleta et in balneo arenae collocata igne ab initio moderato, sed post expulsionem vaporum aquae et acidi muriatici primo prodeuntium per gradus aucto sublima. Sublimatione peracta et cucurbita fracta, sublimatum album crystallinum caute collige et serva cautissime in vase vitreo probe obturato, contra lucem munito.

Velociter sublimatum refert massam salinam, albam, radiatam, sublimatione lenta paratum crystallos minores, albas, splendentes, prismatico-aciculares, triturae niveae, ponderis specifici

5,14. Sit inodorum, media temperatura in viginti partibus aquae et in duabus bullientis, in spiritus vini rectificatissimi partibus tribus, et in quatuor aetheris sulphurici solubile, solutione aquosa aqua calcariae instillata primum flava, dein affusa majori copia aurantiaca, et praecipitatum floccosum paris coloris demittente, in atmosphaera persistens, minori caloris gradu quam Hydrargyrum muriaticum mite sublimandum sine residuo.

□ Hydrargyrum muriaticum mite.

(Mercurius dulcis. Calomelas. Chloretum Hydrargyri.)

Mildes salzsaures Quecksilber. Kalomel.

Rc. Hydrargyri muriatici corrosivi Partes quatuor.

In mortario vitreo aut lapideo caute et quidem spiritus vini aliquot guttas subinde inspergendo pulveratis adde

Hydrargyri depurati Partes tres.

Misce terendo sollicite, donec globuli Hydrargyri penitus disparuerint. Massam pulverulentam, calore tepido exsiccatam, e cucurbitis vel ampullis vitreis oblongis ad tertiam Partem voluminis implendis, operculis lapideis tectis lege artis in balneo arenae sublima. Quo facto, fractisque caute vasis materiam sublimatam puriorem a globulis Hydrargyri liberam denuo sublima. Hoc sublimatum ab albicante ac metallico in collo vasis vitrei haerente depuratum, et a frustulis vitreis caute mundatum in pulyerem subtilissimum laevigatione redactum cum aqua destillata tepida pluries elutum et filtro im-

missum loco obscuro sicca, et serva in vitris probe obturatis contra lucem munitis.

Sit pulvis subtilissimus, flavide-albus, ab hydrargyro muriatico corrosivo omnino liber. Hinc aether sulphuricus, qui cum hoc pulvere coctus fuerit, filtratus, et cum aqua destillata dilutus aqua calcariae aut aqua hydrosulphurata affusa colorem non induat, nec praecipitatum demittat. Aestu totus diffugiat.

□ ††† Hydrargyrum oxydatum rubrum praeparatum.

(Mercurius praecipitatus ruber praeparatus. Oxydum hydrargyricum praeparatum.)

Zubereitetes rothes Quecksilberoxyd.

Rc. Hydrargyri depurati Libram.

Solve in Acidi nitrici quantitate sufficiente. Liquor in vase idoneo, igne primo leni, postea fortiori, ad siccum evaporet. Tum adde

Hydrargyri depurati Libram,

et ad hujus extinctionem usque tere. Pulverem in vase fictili non vitreato latioris fundi, interdum spathula vitrea movendo, prudenter ure donec colorem rubicundum referat. Tandem laevigatione in pulverem subtilissimum redactum et in loco obscuro siccatum caute in vitris contra lucem munitis serva.

Parari quoque potest ex Hydrargyro oxydato rubro venali, si satis purum prostat, quod aquae destillatae

sufficiente quantitate decoque, quo facto liquorem decantha, residuum abluendo edulcora, et bene serva.

Sit pulvis subtilissimus, laete ruber, aquae, quae cum illo decoquitur, proprietatem colorem coeruleum chartae exploratoriae in rufum mutandi non impertiat, et ceterum se habeat, uti de Hydrargyro oxydato rubro venali dictum est.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

(Mercurius solubilis Hahnemanni. Oxydum hydrargyrosum immixto Nitrate ammonico-hydrargyroso.)

Schwarzes Quecksilberoxydul.

Rc. Hydrargyri depurati,
Acidi nitrici, singulorum Unciam cum dimidia.

Cucurbitae immittantur in balneo arenae positae, ut fiat leni calore solutio Hydrargyri, calore sub finem, actione reciproca Hydrargyri et Acidi decrescente, paullo aucto. Si massa Hydrargyri non amplius visibili modo decrescit, tota miscela in vas porcellaneum vel figulinum bene vitreatum effundatur, et cum spathula vitrea vel porcellanea perpetue agitando fere ad siccum calore balnei arenae evaporet. Quod Hydrargyri metallici superest cum massa salina sollicite triturando usque ad plenariam Hydrargyri extinctionem misceatur leni calore simul adhibito. Si forte omne Hydrargyrum sub evaporatione solutionis evanuerit, Drachma Hydrargyri addatur, et quoad reliqua modo praescripto procedatur.

Massa salina sic obtenta in pulverem subtilem redacta in phiala vitrea cum

Aquae destillatae Unciis sex

digestioni calidae usque fere ad ebullitionem subjiciatur, et liquori calido guttatim Acidi nitrici tantum nec ultra instilletur, quantum ad solutionem massae salinae sufficit. Denique solutio sic obtenta ab Hydrargyro in fundo collecto limpida decanthetur, et infundatur in

Aquae destillatae vel pluvialis usque ad 20°
calefactae Libras quinque,

quibus tum instillentur sub perpetua agitatione cum bacillo vitreo

Liquoris Ammonii caustici Drachmae sex

cum

Octuplo Aquae destillatae diluti.

Jam mixta per aliquot temporis minuta strenue agitentur, tum quieti committantur, et sedimentum sic ortum defundendo statim a liquore innatante liberetur, tum pluries cum aqua destillata abluatur, donec defusa illa a liquore Ammonii caustici minime turbetur. Jam puls nigra filtro immittatur, ut humor exstillet, premendoque pluribus chartae bibulae plagulis involuta penitus siccetur, et denique loco tepido umbrato exarescat, ut in mortario porcellaneo in pulverem redigi possit. Serva vitro clauso contra lucem munito.

Sit pulvis vix palpabilis, nigerrimus, aspectus velutini, inodorus, madefactus ac inter manus fortiter tritus nullos aut sal-

tem parcissimos hydrargyri globulos praebeat, candefactus volatilis, in aqua minime, sed in aceto concentrato ope caloris maxima ex parte solvendus, relicta parva quantitate pulveris grisei.

□ Hydrargyrum stibiato-sulphuratum.

(Aethiops antimonialis.)

Schwefelspiessglanz-Quecksilber. (Spiessglanzmohr.)

Rc. Stibii sulphurati laevigati Uncias duas,
Hydrargyri depurati,
Sulphuris depurati, singulorum Unciam.

Misceantur adspergendo interdum aliquot aquae guttulas diuturna trituratione in mortario lapideo ad perfectam unionem, ut etiam microscopii ope Hydrargyri globuli non detegantur. Servetur in vitro obturato.

Sit pulvis niger, aspectus velutini, inodorus, insipidus, in aqua et spiritu vini insolubilis, excandefactus cum odore sulphuris inflammati et fumo albo plane volatilis.

□ Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

(Aethiops mercurialis.)

Schwarzes Schwefelquecksilber. (Quecksilbermohr.)

Rc. Hydrargyri depurati,
Sulphuris depurati, Partes aequales.

Mixta aqua humectata calore 20 ad 30 graduum terantur, donec Hydrargyrum etiam oculo armato plane disparuerit.

Sit pulvis subtilis, niger, candefactus flamma coerulea sulphur combustum redolente ex toto volatilis.

□ Infusum Sennae compositum.

(Aqua laxativa.)

Zusammengesetzter Sennesblätteraufguss. (Laxirtrank.)

Rc. Foliorum Sennae concisorum Unciam cum dimidia,
Passularum minorum Drachmas sex,
Seminis Coriandri contusi Drachmas duas.

Infunde cum
Aquae ferventis quantitate sufficiente,
et macera per horam. In
Colatura expressa Unciarum duodecim
solve
Mannae calabrinae Uncias quatuor,
Tartari natronati Unciam.

Cola et serva.

□ Kali aceticum.

(Terra foliata Tartari. Acetas kalicus.)

Essigsaures Kali. (Weinsteinblättererde.)

Rc. Kali depurati quantum vis,

Aceti diluti quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor in lebete stanneo ad tertiam circiter partem evaporatione redactus frigescat, sedimento demisso defundatur, cum carbonis vegetabilis perfecte usti pulvere coquatur, tum filtretur, et ad neutralisationis statum, si opus fuerit, addito aceto concentrato reductus leni calore in vase vitreo aut porcellaneo ad siccum evaporet. Sal, in pulverem redactum statim, ne humorem attrahat, in vas vitreum ingere, et in eo, bene obturato, serva.

Sit neutrum, album, et quoad fieri potest a salibus heterogeneis liberum, hinc in pari pondere aquae destillatae, et in quatuor partibus spiritus vini rectificatissimi sine residuo solubile. Solutio aquosa aqua hydrosulphurata affusa nil plumbi aut alius metalli inesse indicet.

Kali carbonicum acidulum seu saturatum.

(Bicarbonas kalicus cum Aqua.)

Säuerliches oder vollkommen gesättigtes kohlensaures Kali.

Rc. Cretae albae pulveratae seu Lapidis calcarei purioris pulverati Partem unam et dimidiam,

Aquae fontanae Partes quatuor.

Retortae tubulatae, cui circiter dimidius ambitus excipuli, cum quo conjungitur, sit, ingere, ac quassando in pultem redige. Tum adapta excipulum tubulatum, cui solutio filtrata ex

Kali carbonici puri Partibus duabus,

Aquae destillatae Partibus tribus inest,

ita quidem, ut rostrum retortae superficiem solutionis fere tangat, quae solutio excipulum non ultra vicesimam voluminis sui partem impleat. Juncturis luto farinaceo et vesicis clausis, ac toto apparatu loco, cujus temperatura 12° R. non excedat, nec etiam notabiliter inferior sit, firmiter disposito, per tubulum retortae

Acidi sulphurici crudi (anglici) Partes duas

dilutas

Aquae fontanae Partibus octo

ita instilla, ut, quotiescunque fiat, non ultra decimam ejus partem, et una parte infusa, secundam non ante horae intervallum addas.

Tubulum retortae Acido sulphurico addito semper subere statim obtura, et ingesta prima portione dimidiam post horam tubulum excipuli vesica duplici omnino claude. Omni acido immisso bacillo ligneo per tubulum retortae intruso pultem adhuc saepius verte, obturaculum subereum statim iterum applicans. Post quadraginta octo demum horas aut secus pultis effervescentia penitus finita, apparatum dirime. Liquore in excipulo defuso crystallos ortas inter chartam bibulam calore 20 ad summum 25° desicca. Lixivium defusum pari calore in

vasis planis vitreis tamdiu, quamdiu crystallos perfecte saturatas deponit, evaporet, ac crystalli ex lixivio exemtae pauxillo aquae frigidae ablutae super charta bibula siccescant.

Serva crystallos in vitro probe obturato.

Sint crystalli utraque extremitate binis planis acuminatae, rhomboicae, minores tabulaeformes, ex parte in crustas concretae, albae, pellucidae, in atmosphaera persistentes, saporis subalkalini, mitioris, in aquae destillatae partibus decem solubiles. Solutio aquosa chartam exploratoriam flavam non permutet, neque a solutione magnesiae sulphuricae turbetur, et solutioni hydrargyri muriatici corrosivi affusa lacteam hanc reddat, et praecipitatum album nec flavum demittat.

□ Kali carbonicum depuratum e Cineribus clavellatis.

(Carbonas kalicus e Cineribus clavellatis.)

Gereinigtes Pottaschenlaugensalz.

Rc. Kali carbonici crudi terra silicea chemice conjuncta non nimis inquinati Partem.

Infunde

Aquae fontanae ferventis Partes duas.

Liquor filtratus evaporet, donec cuticula appareat, tum per aliquot dies seponatur, ut heterogenea salia crystallisatione separentur. Dein liquor decanthetur, et evaporatione in sal siccum redigatur. Hic in

Aquae destillatae frigidae quantitate aequali solvatur, solutio filtretur, et leni calore ad siccum evaporet. Serva in vase bene obturato.

Sit albissimum, terra silicea et alumina, metallis et salibus heterogeneis, quantum fieri potest, et metallis prorsus liberum, quod neutralisatione ope acidi nitrici, qua terra silicea separatur, liquore ammonii caustici et hydrosulphurati et liquore barytae nitricae et argenti nitrici exploretur.

□ Kali carbonicum purum.

(Sal Tartari. Carbonas kalicus e Tartaro.)

Reines kohlensaures Kali. (Weinsteinsalz.)

Tartarus crudus vase idoneo inclusus aut charta involutus et inter prunas positus uratur, donec sine flamma et fumo candeat. Massa carbonacea restans aqua destillata elixetur, liquor filtretur, et ad siccum evaporet. Residuum aquae destillatae frigidae quantitate aequali solvatur, solutio filtretur, et evaporatione ad siccum redigatur. Massa obtenta trita adhuc calens in vas vitreum immittatur, in eoque bene clauso servetur. Eodem modo Kali carbonicum extrahatur e massa carbonacea in destillatione Tartari crudi residua.

Sit albissimum, salibus heterogeneis fere, terra silicea et alumina omnino liberum, quod modo ad Kali carbonicum depuratum memorato explorandum est.

□ ††† Kali causticum fusum.

(Lapis causticus Chirurgorum. Hydras kalicus fusus.)
Geschmolzenes Aetzkali.

Kali causticum siccum in catino ferreo bene mundato liquefiat. Tum in modulos ferreos canaliculatos calefactos, pauxillo sevi illitos, effunde, et bacillos fere refrigeratos statim in vas bene obturandum ingestos serva.

Sit album, aut parum cinerascens, durum, siccum, et ita causticum, ut humectata corpora animalia molliora corrodat ac solvat, ceterum iisdem characteribus insigne uti sequens.

□ ††† Kali causticum siccum.

(Hydras kalicus.)
Trockenes Aetzkali.

Rc. Kali carbonici depurati Libras duas cum dimidia.

In vas ferreum immissis affunde

Aquae communis fervidae Decuplum.

Tunc successive ingere

Calcariae ustae optimae pulveratae Libras tres.

Coque per horam dimidiam, agitando spathula ferrea. Quamdiu liquoris portiuncula exemta cum aqua Calcariae mixta turbatur, nova Calcaria usta est adhibenda, si vero addito liquore Kali carbonici lixivium turbidum reddatur, plus solutionis Kali carbonici depurati affundatur.

Tum lixivium per manicam linteam coletur, et lagenae vitreae immittatur, quae obturanda est.

Residuum calcareum e manica exemtum denuo cum Decuplo aquae communis coquatur, et lixivium filtratum priori addatur. Quam primum liquores hi resederint, clarum a sedimento in catinum ferreum mundatum defundatur, et probe bulliendo evaporet, donec olei instar fluat, et gutta in metallum frigidum demissa perfecte concrescat. Tum effunde in mortarium ferreum, post refrigerationem diffringe, et frustula diffracta statim in vas ingere, ac in eo probe obturato serva.

Sit album aut parum cinerascens, valde causticum, in spiritus vini rectificatissimi partibus duabus, et in dimidia circiter aquae destillatae solubile, pauxillo tantum ferri oxydati residuo. Quod ab acido carbonico, quantum fieri potest, liberum sit, eo dignoscitur, quod solutio aquosa ab affusa aqua calcariae vix turbetur.

Eodem modo paretur et servetur:

Natrum causticum siccum.

(Hydras natricus siccus.)

Trockenes Aetznatron.

nisi quod

Natri carbonici crudi Partes quinque

ad

Calcariae ustae Partes tres

sumendae sunt.

Kalium iodatum.

(Hydroiodas kalicus. Iodetum Kalii.)

Iodkalium. (Wasserstoffiodsaures Kali.)

Rc. Iodii puri Partem,

Aquae destillatae Partes quatuor.

Patinae porcellaneae seu cucurbitae vitreae immissis, adde per vices

Limaturae Ferri depuratae Partem dimidiam.

Reactione peracta incalescat vas et agitetur liquidum donec nullo colore tinctum ac limpidum appareat, tum filtretur, et residuum cum aqua frigida abluatur. Liquoribus cum

Aquae destillatae Partibus sedecim

mixtis paulatim et caute addatur

Liquoris Kali carbonici depurati, quantum ad Ferri oxydati praecipitationem opus est.

Praecipitatione peracta liquor accurate neutralisatus filtretur ac residuum cum aqua destillata abluatur. Liquores clari vaporent dein calore lento, donec in massam crystallinam subliquidam abierint. Refrigeret vas, et liquor restans a crystallis defundatur. Lixivium denuo evaporatum alias crystallos edit, quae si coloratae evadunt, nova crystallisatione depurentur, et cum prioribus leni calore siccentur. Serva in vitro bene clauso contra lucis accessum munito.

Referat crystallos parvas, cubicas, rarius prismatico-tetragonas, albas, diaphanas, saporis primum salsi, dein austeri, atmosphaera humida deliquescentes; pars una in tribus quadrantibus aquae destillatae, et in sex partibus spiritus vini rectificatissimi solvatur, unde adulteratio cum kali muriatico, carbonico et natro muriatico detegenda. Granum unum unciis tribus solutionis amyli additum totum liquorem colore cyaneo tingat, additis nonnullis guttulis acidi nitrici concentrati.

Kali muriaticum hyperoxygenatum seu chloricum.

(Chloras kalicus.)

Hyperoxygenirtsalzsaures oder chlorsaures Kali.

Rc. Salis communis siccati Uncias quindecim,

Mangani hyperoxydati nativi Uncias octo.

Pulverata et bene mixta ingerantur cucurbitae satis capaci, et infundantur

Acidi sulphurici crudi (anglici) Unciae quindecim

antea diluti cum

Aquae fontanae dimidio.

Adapta alembicum, et hujus rostrum conjunge cum tubo vitreo, unum ad duos pedes longo, qui satis profunde immergat solutioni

Unciarum quatuor Kali carbonici puri

in

Aquae destillatae Unciis viginti quatuor.

Juncturas alembici cum cucurbita, et tubi vitrei cum

alembico ope vesicarum et luti spissi ex albumine ovi et farina linteo illiti bene claude, et igne primum blandissimo, et solummodo sub fine augendo Gas Chlori evolve, donec bullae aëreae per lixivium in excipulo contentum rarissimae tandem ascendant. Lixivium tum loco obscuro per viginti quatuor horas sepone. Crystallos jamjam sub priori operatione formatas, et sub repositione quieta auctas a liquore filtratione separa; liquorem tum lenissimo calore evaporare fac et iterum ad crystallisationem sepone, quae operatio tamdiu repetenda, quamdiu crystalli bene distinctae lamellosae separantur, quas si crystalli Kali muriatici simul sub fine exortae fuerint, elige, aqua destillata frigida uti quoque prius obtentas ablue, sicca et in vase vitreo serva loco obscuro.

Sint crystalli lamelliformes, albae, pellucidae, splendentes, saporis subausteri, in aquae sedecim partibus solubiles, quae solutio addito liquore argenti nitrici vix turbetur.

□ Kali nitricum depuratum.

(Nitrum depuratum. Nitras kalicus depuratus.)

Gereinigtes salpetersaures Kali. (Gereinigter Salpeter.)

Kali nitrici crudi purioris Partem unam lebeti stanneo vel cupreo, stanno obducto, ingestam solve in binis Partibus aquae pluvialis fervidae. Solutionem breviter ebullitam filtra, ac loco frigido sedulo agita,

donec penitus refrigerata nullum amplius pulverem salinum demittat. Lixivio decanthato massam salinam linteo super tenaculum ligneum expanso, ut pars lixivii illi inhaerens depluat, immitte. Postea decima Parte aquae destillatae frigidae ablue, atque calore modico exsicca. E lixivio residuo pari modo crystallos elice, quamdiu purae prodeant.

Sit pulverulento-crystallinum, candidum, vitreo-splendens, siccum, compressum strepens, in septem partibus aquae frigidae, et minori quam pari quantitate bullientis solubile. Solutio aqua destillata parata affuso liquore argenti nitrici parum tantum opalescat, et instillato liquore barytae nitricae nullum acidum sulphuricum, liquore kali carbonici nullas terras, et liquore ammonii hydrosulphurati nulla metalla prodat.

□ Kali sulphuratum.

(Hepar sulphuris alkalinum. Trisulphuretum Kalii cum Sulphate kalico.)

Schwefelkali. (Alkalische Schwefelleber.)

Rc. Sulphuris depurati Partem,
Kali carbonici puri Partes duas.

Mixta in crucibulo satis amplo et tecto leni igne coëant in massam homogeneam, quam in laminam ferream aut in mortarium ferreum oleo amygdalarum illitum effunde, frigefactam grossiuscule tere, statim in vas bene claudendum ingere, et serva.

Sit e fusco viridis coloris, in partibus duabus aquae destil-

latae ex toto solubile, et addito acido muriatico gas hydrosulphuratum copiose, gas sulphurosum autem minime emittat.

□ Kali sulphuratum pro balneis.

Schwefelkali zu Bädern.

Rc. Sulphuris citrini pulverati Partem,
Kali carbonici depurati Partes duas,
e quibus pari modo, quo Kali sulphuratum, paretur et servetur.

Sit indolis praeparati praecedentis, etsi non ex toto in aqua solubile.

□ Kali sulphuricum depuratum.

(Tartarus vitriolatus depuratus. Arcanum duplicatum. Sulphas kalicus depuratus.)

Gereinigtes schwefelsaures Kali. (Gereinigter vitriolisirter Weinstein.)

Rc. Kali sulphurici crudi quantum libet.
Solve coquendo in
Aquae communis Partibus sex.
Liquori bullienti adde
Liquorem Kali carbonici depurati,
quantum requiritur ad praecipitationem terrarum et oxydorum metallicorum. Tum liquorem per chartam bibulam filtra, et filtratum iterata evaporatione et refrigeratione in crystallos coge, quas siccatas serva.

Parari quoque potest ex massa salina, post destillationem acidi nitrici remanente, quam in

Aquae communis quantitate sufficiente

coquendo solve, acidum liberum cum Kali carbonico depurato neutralisa, quo facto liquorem filtra, et uti supra in crystallos coge.

Sit neutrum, ab inquinatione metallica et terrea plane liberum, ceterum uti Kali sulphuricum venale se habeat.

□ Kali tartaricum.

(Tartarus tartarisatus. Tartras kalicus.)

Weinsteinsaures Kali. (Tartarisirter Weinstein.)

Rc. Kali carbonici depurati quantum vis.

Solve in

Aquae communis fervidae Octuplo.

Adde successive

Tartarum depuratum,

donec effervescentia cesset. Liquorem rite neutralisatum leni calore ad siccum inspissa. Massam salinam in

Aquae destillatae frigidae Partibus decem

solve, et per horas triginta sex sepone. Tum liquor filtretur, et leni calore ad siccum evaporet. Serva in vasis bene clausis.

Sit pulvis albissimus, saporis salsi, amariusculi, in atmosphaera subhumidus quidem evadens, neutiquam vero liquescens, in pari pondere aquae destillatae solvatur, solutione neutrali et

affuso liquore ammonii hydrosulphurati et kali carbonici nulla indicia metallica aut terrea monstrante.

Lac Ammoniaci.

Ammoniakmilch.

Rc. Ammoniaci depurati pulverati,
Gummi arabici pulverati, singulorum Unciam dimidiam,
Aquae Hyssopi Uncias octo.

In mortario lapideo tere, donec gummata soluta sint. Cola. Paretur ex tempore.

Eodem modo paretur ex tempore:

Lac Asae foetidae.

Stinkasandmilch.

Linimentum ad Ambustiones.

Brandsalbe.

Rc. Olei Lini recentis,
Aquae Calcariae, singulorum Partes aequales.

Bene misce. Paretur ex tempore.

Linimentum ammoniatum.

(Linimentum volatile.)

Flüchtiges Liniment.

Rc. Olei Olivarum provincialis quantum libet,
Liquoris Ammonii caustici Dimidium pondus.

Agitentur in vase vitreo, donec perfecte in unum coierint.

Paretur ex tempore.

Linimentum ammoniato-camphoratum.

(Linimentum volatile camphoratum.)
Kampherhaltiges Ammoniumliniment.

Paretur ex tempore addendo cuivis Unciae Linimenti ammoniati Camphorae Drachmam.

Linimentum Ferri nitrici.

Salpetersaures Eisenliniment.

Rc. Liquoris Ferri nitrici quantum libet,
Olei Olivarum sufficientem quantitatem ut fiat quassando Linimentum.

Paretur ex tempore.

Linimentum muriatico-terebinthinatum.

(Linimentum antarthriticum Pottii. Liquor antarthriticus Pottii.
Salzsaures Terpenthinölliniment. (Pott's Liniment gegen die Gicht.

Rc. Salis communis siccati pulverati Uncias octo,
Olei Terebinthinae Uncias sex.

Immissis in vas idoneum murrhinum sensim et caute instilla

Acidi sulphurici crudi fumantis Uncias quatuor.

Seponatur miscela per tres vel quatuor dies loco temperato, et saepius agitetur, tum exprimendo coletur.

Sit consistentiae Linimenti, tactu lubricum, coloris e viridi fusci, subpellucidum, acidi liberi expers, odoris peculiaris.

□ Linimentum saponato-camphoratum.

(Balsamum Opodeldoc.)

Kampherhaltiges Seifenliniment. (Opodeldocbalsam.)

Rc. Saponis domestici albissimi e sebo confecti,
hispanici, singulorum siccatorum Unciam cum dimidia,
Camphorae Drachmas tres.

Solve in cucurbita vitrea vesica tecta leni calore in
Spiritus vini rectificatissimi Unciis viginti.

Solutionem adhuc calentem filtra. Tum adde
Liquoris Ammonii caustici Drachmas tres,
Olei Roris marini Drachmam,
Thymi Drachmam dimidiam.

Linimentum in vitris bene clausis, Uncias duas continentibus, refrigeretur, et loco frigido servetur.

Referat gelatinam recens flavescentem, opalescenti-pellucidam, aequalem, tempore opacam, albidam, et crystallos nullas aut paucissimas contineat.

Linimentum contra Scabiem.

Krätzliniment.

Rc. Sulphuris citrini pulverati Uncias tres,
Saponis nigri,
Aquae fontanae, Partes aequales
et quantum sufficit ut fiat Linimentum.

Paretur ex tempore.

□ Liquor Ammonii acetici.

(Spiritus Mindereri.)

Flüssiges essigsaures Ammonium. (Minderer's Geist.)

Rc. Ammonii carbonici depurati Uncias tres,
Aceti concentrati quantum requiritur ad perfectam saturationem.

Tum diluatur liquor Aqua destillata, quantum opus est, ut totum fluidum ponderis sit Unciarum quadraginta octo. Serva in vase probe obturato.

Sit coloris expers, odoris proprii, saporis subsalsi et pungentis, ponderis specifici 1,008—1,010, chartam exploratoriam coe-

ruleam vix permutet, calore plane diffugiat, a pari volumine spiritus vini rectificatissimi admixto ne turbetur, addito liquore argenti nitrici vix praecipitatum, in aqua destillata dein affusa non solvendum demittat, et nullo modo tale quod initio album post nonnulla minuta colorem fuscum induat, a liquore barytae nitricae ne turbetur, aqua hydrosulphurata affusa a metallis liber inveniatur.

Liquor Ammonii anisatus.

(Spiritus Salis ammoniaci anisatus.)

Anishaltige Ammoniakflüssigkeit. (Anishaltiger Salmiakgeist.)

Rc. Spiritus vini rectificatissimi Uncias duodecim,
Olei Anisi Unciam dimidiam.
Solutis adde
Liquoris Ammonii caustici Uncias tres.
Serva in vitro bene clauso.

Sit limpidus, flavescens, odore ammonii et olei anisi insignis, et ex toto volatilis, ponderis specifici 0,875—0,885.

Liquor Ammonii carbonici.

(Spiritus Salis ammoniaci aquosus. Liquor Carbonatis ammonici.)

Kohlensaure Ammoniumflüssigkeit. (Wässriger Salmiakgeist.)

Rc. Ammonii carbonici depurati Partem unam,
Aquae destillatae Partes quinque.
Solve et serva. Paretur ex tempore.

□ Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.

(Spiritus Cornu Cervi rectificatus. Liquor Carbonatis Ammonii cum Oleo empyreumatico.)

Brenzlich-ölige kohlensaure Ammoniumflüssigkeit. (Gereinigter Hirschhorngeist.)

Rc. Ammonii carbonici pyro-oleosi depurati Unciam.

Solve in

Aquae destillatae Unciis septem.

Filtra et serva in vitro epistomio vitreo munito.

Sit limpidus, recens paratus dilute, mox insigniter flavescens, odoris et saporis ammonii carbonici pyro-oleosi, ponderis specifici 1,030—1,035. Aestui expositus totus avolet.

Liquor Ammonii caustici.

(Spiritus Salis ammoniaci cum Calce viva paratus.)

Aetzende Ammoniumflüssigkeit. (Aetzender Salmiakgeist.)

Rc. Calcariae ustae Libram.

Conspergatur sufficiente quantitate Aquae fontanae calidae, ut in pulverem fatiscat. Huic cucurbitae balneo arenae sat profunde immersae immisso adde

Ammonii muriatici crudi triti Libram

Aquae fontanae Libris quatuor soluti.

Conjunge cucurbitam cum alembico luti farinosi et vesicarum ope, ac rostrum alembici excipulo Aquae destillatae Libram cum dimidia continenti ita adapta, ut vel ipsum vel tubulus illi agglutinatus aquae immergatur. Juncturae inter rostrum et collum excipuli, ope similis luti uti supra, claudendae adapta tubulum tenuem vitreum tum demum claudendum, si odor Ammonii ex orificio tubuli spirat. Luto bene siccato miscela in cucurbita leniter ebulliat, dum excipulum semper refrigeratur, donec Librae tres in excipulo sint, destillatione nunquam interrupta. Destillatum ex excipulo statim in vitra obturamentis vitreis bene claudenda ingere, et in loco frigido serva.

Destillatio liquoris Ammonii caustici etiam ope apparatus Woulfiani eadem encheiresi uti destillatio Acidi muriatici perfici potest, ingerendo miscelam ex Ammonii muriatici triti Libra cum Calcariae ustae ope Aquae in pulverem extinctae pari pondere retortae tubulatae aut cucurbitae ferreae conjungendae cum tribus lagenis Woulfianis, quarum priori minori pauxillum tantum Aquae Calcariae infunditur, media Aquae destillatae quantitate pondus Ammonii muriatici dimidio superante, et posterior talis Aquae aequo Ammonii muriatici pondere instruatur, quo facto ignis initio lenis sensim tam diu intendatur, quamdiu gas evolvitur, binis lagenis posterioribus semper bene refrigeratis. Apparatu refrigerato lagenae separentur, contentum mediae ponderetur,

et ex tertia tantum liquidi ei addatur, ut pondere aequet Libras tres.

Sit liquor limpidus, coloris expers, odoris penetrantis, urinosi, minime empyreumatici, ponderis specifici 0,960 ad summum 0,970, aqua calcariae affusa ne turbetur, nec aqua sulphurato-acidula addita colorem acquirat, aestui expositus totus diffugiat.

Liquor Ammonii hydrosulphurati seu hydrothionici.

(Hydrosulphuretum Ammonii liquidum.)

Schwefelwasserstoffsaure oder hydrothionsaure Ammoniumflüssigkeit.

Deduce Gas hydrosulphuratum, modo in praeparatione Aquae hydrosulphuratae descripto elicitum tubuli vitrei curvati ope in Liquorem Ammonii caustici in vase vitreo subere perforato clauso et in aquam frigidam immerso contentum, donec hic nil amplius illius absorbeat. Serva in vitris, obturaculis vitreis ac pice munitis, loco obscuro, frigido.

Sit recens limpidus, fere coloris expers; odoris hepatici fortis subammoniacalis, saporis similis caustici, calore leni facile diffugiat, addito acido sulphurico vix lactescat, sed gas hydrothionicum odore fortiori dignoscendum emittat. Rejiciatur qui attactu aëris colorem flavum contraxit, sedimentum deposuit, et addito acido sulphurico copiosum praecipitatum album demittit.

□ Liquor Ammonii succinici.

(Liquor Cornu Cervi succinatus. Liquor Succinatis ammonici.)

Bernsteinsaure Ammoniumflüssigkeit. (Bernsteinsaurer Hirschhorngeist.)

Rc. Acidi succinici depurati Unciam.
Solve in
Aquae destillatae Octuplo,
et adde
Ammonii carbonici pyro-oleosi quantum ad neutralisationem requiritur.
Liquorem filtratum in vase bene obturato serva.

Sit limpidus, recens paratus flavescens, tempore subfuscus, neuter, ponderis specifici 1,050, admixtis tribus partibus spiritus vini rectificatissimi clarus permaneat nec sedimentum deponat, cum solutione plumbi acetici depurati praecipitatum album demittat, in aceto concentrato penitus resolubile, et ex toto vaporibus tussim excitantibus volatilis sit.

Liquor Ammonii succinici aethereus.

(Spiritus Elleri.)

Aetherische bernsteinsaure Ammoniumflüssigkeit. (Eller's Spiritus.)

Rc. Liquoris Ammonii succinici,
Spiritus sulphurico-aetherei, Partes aequales.
Misce. Paretur ex tempore.

Liquor Ammonii vinosus.

(Spiritus Salis ammoniaci vinosus.)

Weinige Ammoniumflüssigkeit. (Weiniger Salmiakgeist.)

Rc. Spiritus vini rectificatissimi Partes duas,
Liquoris Ammonii caustici Partem unam.
Misce et serva in vitro bene clauso.

Sit limpidus, coloris expers, odoris penetrantis volatilis, ponderis specifici 0,900 — 0,910, ab heterogeneis plane liber, quo respectu se habeat ut liquor ammonii caustici.

††† Liquor arsenicalis seu Arsenici kalinus.

(Solutio arsenicalis Fowleri.)

Kalihaltige Arsenikauflösung. (Arseniktropfen.)

Rc. Arsenici albi,
Kali carbonici depurati, singulorum Drachmam cum Granis quatuor,
Aquae destillatae Uncias sex.
Coque in vase vitreo ad perfectam Arsenici solutionem. Solutioni filtratae et refrigeratae adde
Spiritus Angelicae compositi Unciam dimidiam,
Aquae destillatae quantum requiritur, ut Liquoris sint Unciae sedecim.
In vase vitreo diligentissime serva.

Liquor Calcariae oxymuriaticae seu chloratae.

(Liquor Chloridis calcici.)

Chlorkalkflüssigkeit. Leichenwasser.

Rc. Calcariae oxymuriaticae quantum libet.
Superfunde cum
Aquae pluvialis Octuplo.
Stent per dimidiam horam in vitro clauso frequenter agitando. Dein celeriter filtra et serva liquorem in vitris pluribus obturaculis vitreis munitis, vesica tectis, et charta nigra velatis loco frigido.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1,040—1,045, et chlorum fortiter redoleat.

Liquor Ferri muriatici oxydati.

(Oleum Martis. Liquor Subbichloreti Ferri.)

Salzsaure Eisenoxydflüssigkeit. (Eisenöl.)

Rc. Ferri muriatici oxydati Partes quatuor.
Solve in
Aquae destillatae Partibus sex.
Paretur ex tempore.

Liquor Ferri nitrici.

Salpetersaure Eisenflüssigkeit.

Rc. Acidi nitrici quantum libet.

Cucurbitae vitreae immisso successive adde Limaturam Ferri depuratam, quamdiu solvitur, adhibito sub fine leni calore, tum filtra.

Serva in vitro clauso.

Sit liquor ex rufo fuscus et addito liquore ammonii caustici copiosum praecipitatum coloris ochracei demittat.

††† Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.

Aetzende salzsaure Quecksilberoxydflüssigkeit.

Rc. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici depurati, singulorum
Grana viginti quatuor.

Solve in
Aquae destillatae Libris duabus.

Caute serva.

Sit limpidus, coloris expers, et addita aqua calcariae praecipitatum aurantiaco-flavum demittat.

††† Liquor Hydrargyri nitrici oxydati.

(Liquor Nitratis hydrargyrici.)

Salpetersaure Quecksilberoxydflüssigkeit.

Rc. Hydrargyri oxydati rubri Unciam.

Solve in

Acidi nitrici quantitate sufficiente

et adde

Aquae destillatae tantum, ut pondus totius sit Unciarum octo.

Liquorem decanthatum in vase bene obturato loco obscuro caute serva.

Sit limpidus, absque colore, ponderis specifici 1,175—1,185, addita solutione natri muriatici ne praecipitatum demittat.

††† Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.

(Liquor Bellosti. Liquor Hydrargyri nitrici frigide paratus. Liquor Nitratis hydrargyrosi.)

Salpetersaure Quecksilberoxydulflüssigkeit. (Bellost's Flüssigkeit.)

Rc. Hydrargyri depurati,

Acidi nitrici,

Aquae destillatae, singulorum Unciam.

Vas vitreum, cui Hydrargyrum cum Acido nitrico Aqua diluto infusum est, immittatur Aquae frigidae, et sic per octo vel quatuordecim dies loco frigido seponatur, donec neque bullae aëreae amplius emergentes, neque diminutio Hydrargyri observentur, vase interea ita clauso, ut gas quidem effugere possit, aëri atmosphaerico vero liber accessus non pateat. Si forte secernatur

sal flavescens, succurrendum est additione pauxilli Acidi nitrici. Liquor sic obtentus defundatur, et super pauxillo Hydrargyri in vitro probe clauso contra lucis accessum munito servetur.

Sit limpidus, et addito liquore ammonii caustici saturate nigrum, et solutione natri muriatici album praecipitatum demittat.

□ Liquor Kali acetici.

(Liquor Terrae foliatae Tartari. Liquor Acetatis kalici.)

Essigsaure Kaliflüssigkeit. Weinsteinblättererdeflüssigkeit.

Rc. Kali acetici Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus duabus,
et filtra. Serva in vase clauso.

Sit limpidus, coloris expers, neutralis, ponderis specifici 1,140—1,150, et cum aequali volumine spiritus vini alcoholisati mixtus minime turbetur.

Liquor Kali acetici niger.

(Liquor digestivus Boerhaavii.)

Gefärbte essigsaure Kaliflüssigkeit.

Rc. Kali carbonici depurati Libram,
Aceti Vini crudi quantum ad saturationem requiritur.

Liquor in lebete stanneo ad Libras tres evaporatione redactus filtretur et in vitro servetur.

Cum priori conveniat, nisi quod colorem fuscum monstret, et cum spiritu vini alcoholisato mixtus paululum turbetur.

□ Liquor Kali carbonici.

(Oleum Tartari per deliquium. Liquor Carbonatis kalici.)

Kohlensaure Kaliflüssigkeit. Zerflossenes Weinsteinsalz.

Rc. Kali carbonici depurati perfecte sicci Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae Libris duabus.

Filtra et serva in vase clauso.

Sit limpidus, coloris expers, attactu oleo pingui similis, ponderis specifici 1,300 — 1,310.

□ ††† Liquor Kali caustici.

(Lixivium causticum. Liquor Hydratis kalici.)

Aetzkaliflüssigkeit. (Aetzlauge.)

Rc. Kali caustici sicci Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae Partibus duabus.

Decanthatum liquorem serva in vitro probe clauso.

Sit limpidus, coloris expers, aut tantummodo parum flavescens, ponderis specifici 1,330—1,340, cum aqua calcariae mixtus parum turbetur, et cum acido muriatico neutralisatus addito liquore kali oxalici ne praecipitatum demittat.

Eodem modo paretur et servetur:

Liquor Natri caustici.

Aetznatronflüssigkeit.

Solutione Partis unius Natri caustici sicci in Aquae destillatae Partibus duabus.

Liquor Myrrhae.

(Liquamen Myrrhae. Oleum Myrrhae.)

Myrrhenflüssigkeit.

Rc. Myrrhae electae pulveratae Uncias quatuor,
Aquae destillatae Uncias sedecim.

Digere in vase vitreo aut porcellaneo, balneo aquae commisso, ad sufficientem Myrrhae solutionem. Liquorem per linteum exprimendo colatum et addita Aqua ad pondus sedecim Unciarum restitutum loco frigido serva.

Liquor Myrrhae cum Melle.

(Liquamen Myrrhae cum Melle.)

Myrrhenflüssigkeit mit Honig.

Liquori in priori praeparatione colato adde
Mellis despumati Uncias decem,
et ad Uncias sedecim evaporare fac. Servetur in vase clauso loco frigido.

Liquor nervinus.

Nervenliquor.

Rc. Spiritus sulphurico-aetherei Unciam,
in qua solve
Camphorae Scrupulos quatuor.
In vitro probe clauso serva.

Liquor pyro-tartaricus.

(Spiritus Tartari.)

Brenzliche Weinsteinflüssigkeit. (Weinsteingeist.)

Rc. Tartari crudi quantum vis.

Fiat destillatio ex retorta ferrea vel fictili ad dimidiam partem repleta, aperto sensim aucto igne, in excipulum satis capax et tubulo, per quem transeat gas impetuose prorumpens, instructum. Destillatione peracta liquorem elicitum ab oleo empyreumatico filtratione per chartam bibulam repetita libera, et in vase obturato serva.

Residuum in retorta cum Aqua destillata elue, et lixivium filtratum ad siccum, uti apud Kali carbonicum purum legis, inspissa, et Kali carbonicum sic obtentum serva.

Sit liquor limpidus, e rufo fuscus, odoris pyro-oleosi proprii, acidiusculi, saporis similis, vix aqua ponderosior, caute evaporatus residuum crystallinum edat, quod aestu aucto sublimetur.

Liquor Saponis stibiati.

(Sulphur auratum liquidum. Tinctura Antimonii Jacobi.)

Spiessglanzseifenflüssigkeit. (Flüssiger Spiessglanzschwefel.)

Rc. Saponis stibiati Partes duas,
Tincturae kalinae,
Aquae Cinnamomi, singulorum Partes tres.

Solvatur sapo leni calore subinde agitando ac solutio filtretur. Paretur ex tempore.

Liquor Stibii muriatici.

(Butyrum Antimonii. Chloretum Stibii.)

Salzsaure Spiessglanzflüssigkeit. (Spiessglanzbutter.)

Rc. Stibii oxydulati fusci Uncias duas,
Natri muriatici siccati Uncias sex.

Mixta ingere retortae vitreae tubulatae, cui balneo arenae impositae luto e gypso usto et farina confecto excipulum amplum tubulatum probe siccum adapta. Cum excipuli orificio conjunge tubulum vitreum curvum, cujus alterum lumen vasculo aquam haud multam continenti immergat. Luto siccato affunde per tubulum retortae

Acidi sulphurici crudi (anglici) Uncias quatuor

Aquae fontanae Unciis duabus

antea dilutas. Hoc tubo ope epistomii vitrei clauso, ignem primo lenem sub finem sensim augendum, excipulo saepius refrigerato, applica, donec guttae destillare plane desierint. Vasis prorsus refrigeratis, liquorem destillatum a pauco sedimento luteo-rufo caute decantha. Serva in vitro, epistomio vitreo clauso, ceraque obducto.

Liquidum sit limpidum, flavescens, ponderis specifici 1,440—1,450, aëri expositum vapores albos eructans, aqua dilutum sedimentum album crystallinum abunde demittat, atque addito liquore ammonii hydrosulphurati floccos e rufo aurantiacos demittat.

Liquor stypticus Loofii.

Zusammenziehende Flüssigkeit.

Rc. Cupri sulphurici,
Aluminis crudi, singulorum Unciam cum dimidia.

Solve in

Aquae fontanae Libra.

Solutioni filtratae addatur

Acidi sulphurici anglici Uncia.

Serva in vitro clauso.

Sit coloris dilute coerulei, ponderis specifici 1,170—1,175.

Looch album Parisiense.

Rc. Amygdalarum dulcium decorticatarum Unciam dimidiam,

Amygdalas amaras Numero duas,

Sacchari albi Unciam dimidiam.

Contundantur in mortario lapideo pistillo ligneo, sensim affundendo

Aquae fontanae Uncias quatuor.

Fiat lege artis emulsio. Tum adde

Aquae florum Naphae Drachmas duas,

Gummi Tragacanthae pulverati Grana sedecim,

Olei recentis Amygdalarum dulcium Unciam dimidiam,

Sacchari albi Drachmas duas.

Misce lege artis, ut fiat Looch.

Paretur ex tempore.

Magnesia carbonica.

(Magnesia alba. Carbonas magnesicus cum Aqua et Hydrate magnesico.)

Kohlensaure Bitter- oder Talkerde. (Weisse Bittererde.)

Rc. Magnesiae sulphuricae crudae Libras sex.

Solve in

Aquae communis calidae Libris duodecim.

Solutionem filtra, et cum

Aqua communi usque ad Libras quadraginta octo

dilue.

Rc. Kali carbonici depurati a Terra silicea prorsus liberi Libras quatuor.

Solve in

Aquae communis calidae Libris viginti quatuor,

et filtra.

Solutiones ambae, hoc modo paratae, seorsim ebulliant, et adhuc fervidae in lebete stanneo perpetua sub agitatione cum spathula lignea commisceantur. Post digestionem per horae dimidium, mixtura calida per linteum coletur, et Magnesia carbonica in illo remanens, iterata Aquae destillatae affusione diligenter edulcoretur, et loco calido sine praevia humoris expressione siccetur et servetur.

Sit nivea, et omnes characteres exhibeat, qui jam apud Magnesiam carbonicam venalem probae indolis descripti sunt.

Magnesia sulphurica depurata.

(Sal amarum depuratum. Sulphas magnesicus cum Aqua depuratus.)

Gereinigte schwefelsaure Bittererde. (Gereinigtes Bittersalz.)

Magnesia sulphurica cruda solvatur in Aquae commu-

nis fervidae pari pondere, solutio filtretur, et lege artis in crystallos redigatur, quos siccatos serva.

Magnesia usta seu calcinata.

Gebrannte oder calcinirte Bittererde.

Magnesia carbonica in crucibulo tecto igne fortiori per horam et ultra uratur, donec portiuncula cum aqua mixta acido quovis addito nullam producat effervescentiam. Calida adhuc vitro bene obturando ingeratur.

Sit candidissima, magnesia carbonica levior et minus palpabilis, in acido sulphurico diluto etsi lente tamen omnis solvatur, et solutio saturata clara addita solutione kali oxalici minime turbetur.

Massa Pilularum balsamicarum.

(Loco Pilularum balsamicarum Stahlii.)

Balsamische Pillenmasse.

Rc. Extracti Aloës,
Myrrhae, singulorum Uncias duas,
Absinthii,
Rhei compositi,
Pulveris Mastichis,
Saponis medicati, singulorum Unciam.

Fiat Massa pilularis.

Massa Pilularum e Cynoglosso.

Hundszungenpillenmasse.

Rc. Opii caute siccati,
Radicis Cynoglossi,
Seminis Hyoscyami, singulorum pulveratorum Unciam dimidiam,
Myrrhae pulveratae Drachmas sex,
Olibani pulverati Drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Cassiae cinnamomeae,
Styracis Calamitae, singulorum pulveratorum Drachmas duas.

Misce. Ope mucilaginis Gummi arabici formari potest Massa pilularis et Pilulae singulae ponderis Grani unius.

Mel despumatum.

Gereinigter Honig.

Rc. Mellis communis Libras sedecim,
Aquae communis Libras octo.

Coquantur in vase stanneo, et spuma in superficie orta auferatur cochleari foraminibus parvis pertuso. Liquor coletur per manicam e panno confectam, et inspissetur ad syrupi consistentiam. Serva loco frigido.

Sit limpidum, e flavo fuscum nec odoris nec saporis empyreumatici aut acidi.

□ Mel rosatum.

Rosenhonig.

Rc. Foliorum Rosarum incarnatarum Uncias octo.

Affunde

Aquae communis fervidae Libras quatuor.

Sepone per noctem, tum exprime et cola

Liquor inde obtentus cum Mellis despumati Libris octo

mixtus leni igne ad syrupi spissitudinem evaporet.

Serva loco frigido.

Sit saturatius melle despumato tinctum, odore et sapore sat rosaceo.

Mellago Graminis vid. Extractum Graminis liquidum.

Mellago Taraxaci vid. Extractum Taraxaci liquidum.

□ Mixtura camphorata.

(*Julapium e Camphora.*)

Kamphermixtur.

Rc. Camphorae ope Spiritus vini rectificatissimi pulveratae Drachmam.

Tere cum

Sacchari albi Uncia dimidia.

Affunde sensim

Aquae destillatae fervidae Uncias decem.

Mixturam, postquam refrixerit, in vas filtra statim obturandum.

Sit limpida, odoris fortis camphoracei.

□ Mixtura camphorata acida.

Saure Kamphermixtur.

Rc. Camphorae ope Spiritus vini rectificatissimi pulveratae Drachmam dimidiam.

Tere cum

Gummi arabici pulverati Drachmis duabus,
Sacchari albi pulverati Drachmis tribus.

Exacte mixtis paulatim sub continua trituratione affundantur

Aceti vini Uncia dimidia,
Aquae destillatae Unciae sex.

Paretur ex tempore.

Mixtura oleoso-balsamica.

(*Balsamum Vitae Hoffmanni.*)

Oelig-balsamische Mixtur. (*Hoffmann's Lebensbalsam.*)

Rc. Olei Caryophyllorum,

Olei Cinnamomi,
Corticum Citri,
Florum Aurantiorum,
Lavandulae,
Macidis,
Majoranae,
Rutae, singulorum Scrupulum,
Balsami peruviani nigri Drachmam,
Spiritus vini gallici fortioris Uncias decem.

Mixta seponantur in vitro clauso per aliquot dies loco frigido subinde agitando. Tum per gossypium filtra, et in vitro bene clauso serva.

Sit liquor limpidus, flavus, odoris aromatici, ponderis specifici 0,850—0,860.

□ Mixtura pyro-tartarica.

(Mixtura simplex.)

Brenzliche Weinsteinmixtur. (Einfache Mixtur.)

Rc. Spiritus Angelicae compositi Uncias duodecim,
Liquoris pyro-tartarici Uncias octo.

Mixtis sensim instilla

Acidi sulphurici depurati concentrati Unciam.

Serva in vitro clauso.

Sit limpida, coloris fuscescentis, ponderis specifici 0,980.

††† Morphium seu Morphinum.
Morphium. Morphina.

Rc. Opii grossiuscule pulverati Libram.

Maceretur cum

Aquae destillatae quantitate sufficiente

tribus repetitis vicibus, et residuum bene exprimatur. Liquores commixti per subsidentiam depurati filtrentur et in illis sub agitatione nullo adhibito calore solvatur

Kali carbonici aciduli Uncia cum dimidia.

Liquor a sedimento exorto decanthatus filtretur, et in vase idoneo ebulliat, donec gas acidum carbonicum expulsum sit. Liquor fervidus adhuc defundatur et per nychthemeron reponatur, quo facto Morphium, quod crystallisatione fundum petiit, in filtro collectum, pauxillo Aquae fervidae abluatur, tum in quantitate sufficiente Acidi sulphurici cum multa Aqua destillata diluti solvatur, et cum duplo Spiritus vini rectificati misceatur, ita quidem ut tota quantitas liquidi aequet Libras duas cum Unciis quatuor. Huic liquori admisce Liquoris Ammonii caustici tantum ut paullulum praevaleat, et ad crystallisationem Morphii per nychthemeron sepone. Crystallos obtentas aqua frigida ablutas altera vice eadem ratione tracta, et crystallos tum obtentas inter chartam bibulam calore 25—30 graduum sicca. Ex residuo liquore evaporatione et repositione crystallos elice quamdiu purae prodeunt. Caute serva in vitro obturato.

Sint crystalli parvae, aciculares, albae, subdiaphanae, inodo-

rae, saporis amari, in aqua frigida fere insolubiles, in aquae fervidae quingentis partibus, in spiritus vini alcoholisati partibus viginti solubiles, aestui expositae sine residuo cum fumo resinam redolente volatiles, a *Narcotina* s. *Opiano* liberae, quod dignoscitur, si solutio acido muriatico valde praevalente facta tinctura gallarum non praecipitatur, et residuum post evaporationem solutionis in acido sulphurico diluto factae colore viridi haud tinctum apparet.

††† Morphium aceticum.

(Acetas morphicus.)

Essigsaures Morphium.

Rc. Morphii quantum vis.
Solve in
Aceti concentrati Aquae destillatae aequo pondere diluti quantitate sufficiente,
ut liquor perfecte neuter appareat. Hic filtratus leni calore ad siccum evaporet. Residuum in pulverem redactum caute serva.

Sit pulvis albidus, saporis peramari, in aqua, nisi acidum aceticum sub praeparatione nimio calore partim avolaverit, quo in casu aceti concentrati aliquot guttae sunt addendae, facile solubilis, a *Narcotina* seu *Opiano*, quantum fieri potest, liber, quod uti in Morphio explorari potest.

Morsuli antimoniales.

Spiessglanzmorsellen.

Rc. Sacchari albi Libram,
Aquae fontanae Libram dimidiam.

Mixta decoque lege artis ad consistentiam tabulandi. Tum liquido, vase ab igne remoto agitando pelluciditatem amittenti, admisce statim

Stibii sulphurati laevigati Uncias duas,
Amygdalarum dulcium excorticatarum concisarum Unciam cum dimidia,
Cassiae cinnamomeae grossiuscule pulveratae,
Cardamomi minoris pulverati, singulorum Scrupulum.

Dein mixta celeriter in modulum humectatum effunde, et massam inde obtentam adhuc calidam disseca, ut fiant morsuli, quantum fieri potest aequales, ponderis Drachmarum duarum.

Mucilago Gummi arabici.

Arabischer Gummischleim.

Rc. Pulveris Gummi arabici Partem unam,
Aquae destillatae Partes duas.

Solve terendo in mortario lapideo, Gummi et Aquam alternis vicibus addens, et cola.

Paretur ex tempore.

Mucilago Salep.

Salepschleim.

Rc. Radicis Salep pulveratae Drachmam.

In mortario lapideo terendo adde

Aquae destillatae frigidae Uncias duas.

Tunc admisceantur

Aquae destillatae fervidae Unciae decem,

et miscela in vitro conquassetur, donec frigefacta sit.

Paretur ex tempore.

Mucilago Seminum Cydoniorum.

Quittenschleim.

Rc. Seminum Cydoniorum Drachmam.

Vitro immissis affunde

Aquae Rosarum Uncias decem.

Stent per aliquot horas interdum agitando, tum cola.

Paretur ex tempore.

Mucilago Tragacanthae.

Traganthschleim.

Rc. Pulveris Gummi Tragacanthae Grana quatuor,

Gummi arabici Granum.

Misce et tere usque ad perfectam solutionem cum

Aquae destillatae Uncia una.

Paretur ex tempore.

Natrium sulphurato-stibiatum.

(Sulphuretum Natrii et Stibii.)

Schwefelspiessglanznatrium.

Rc. Natri sulphurici siccati Uncias quatuor,
Stibii sulphurati Uncias duas,
Carbonis vegetabilis Unciam.

Omnia pulverata et bene mixta incandescant in crucibulo satis amplo et tecto per semihoram aut ultra, donec plane liquefacta sint et instar olei tranquille fluant. Massam fluentem in mortarium lapideum effunde, et refrigeratam et pulveratam in

Aquae destillatae Octuplo

coquendo solve, et solutionem obtentam per viginti quatuor horas in vase tecto sepone. Tum liquorem defunde a sedimento, filtra, et evaporatione et refrigeratione ad crystallisationem redige, crystallos obtentas iterum in

Aquae destillatae fervidae Duplo

solve, et evaporatione et refrigeratione lege artis crystallos inde elice, quamdiu characteribus suis insignes sunt. Serva in vase bene clauso, contra lucem munito.

Refert crystallos tetraëdras, quam plurimum confertas, splendentes albas, lucis influxu flavescentes, in aquae fervidae pari pondere solubiles, solutione addito acido sulphurico vel muriatico

copiosum sedimentum aurantiacum demittente, quod exsiccatione colorem e fusco rubrum induit.

Natrum aceticum.

(*Terra foliata Tartari crystallisata. Acetas natricus cum Aqua.*)

Essigsaures Natron. (Krystallisirte Weinsteinblättererde.)

Rc. Natri carbonici depurati Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae fervidae Partibus duabus.

Liquor aheno stanneo immissus cum

Aceti concentrati sufficiente copia

neutralisetur, dein denuo ingeratur

Natri carbonici depurati tricesima Pars Natri prius adhibiti.

Tum liquor filtretur, et evaporet, donec gutta tabulae lapideae instillata crystallos edat, quo facto liquor loco frigido, ut in crystallos abeat, seponatur, residuus liquor dein a crystallis ortis defundatur, et denuo evaporando in crystallos cogatur, quae collectae ac in charta bibula celeriter siccatae in vase vitreo obturato serventur.

Sint crystalli prismaticae, inaequaliter hexagonae, diaphanae, saporis dulciusculi subsalsi, refrigerantis, mitioris, aëri calido expositae fatiscentes, in aquae partibus tribus, et spiritus vini rectificatissimi viginti quatuor solubiles, ab inquinamentis metallicis prorsus, a salibus heterogeneis, quantum fieri potest, liberae, quod uti in Natro carbonico crudo exploratur.

Natrum carbonicum acidulum seu saturatum.

(Bicarbonas natricus cum Aqua.)

Säuerliches oder gesättigtes kohlensaures Natron.

Pari modo ut Kali carbonicum acidulum paretur adhibendo solutionem

Natri carbonici depurati Partium duarum

in

Aquae destillatae Partibus tribus.

Parari quoque potest sequenti modo:

Rc. Natri carbonici depurati siccati quantum libet.

Immitte in lagenam Woulfianam bitubulatam, quae ope tubi vitrei Natro carbonico profunde immergentis cum alia lagena satis ampla conjungatur, ex qua eadem encheiresi ut in praeparatione Kali carbonici saturati Gas acidum carbonicum ex creta successive affuso Acido sulphurico evolvitur, sed intervallo temporis ab una affusione Acidi sulphurici ad alteram non ultra quinque ad octo minuta protracto alteri tubulo lagenae Woulfianae vesica vitulina prius comprimendo ab aëre liberata firmiter adaptetur, et juncturae contra exitum omnis aëris bene muniantur. Gas acidum carbonicum extricetur usque dum Natrum carbonicum plane saturatum sit, quod tum ex depositione guttularum aquae in parietibus lagenae Woulfianae, tum ex eo cognoscitur, quod vesica vitulina, quae post unamquamque affusionem Acidi

sulphurici in lagenam cretam continentem et illi succedentem exactam occlusionem lagenae cum epistomio primum expanditur, sed sensim sensimque iterum collabitur, postremo expansa subsistit. Natrum carbonicum ex lagena Woulfiana exemtum Aquae destillatae frigidae dimidio pondere superfundatur; post horas duodecim aqua defusa sal remanens caute inter chartam bibulam siccetur, et in vitro obturato servetur.

Aqua defusa pauxillum Natri carbonici continet, quod aqua evaporata obtineri potest.

Sint secundum priorem parationis methodum crystalli plerumque in crustas concretae, diaphanae, saporis mitis, vix alcalini, in tredecim partibus aquae solubiles, et cum reagentibus apud Kali carbonicum saturatum memoratis pari modo uti hoc se habeant. Sal posteriori modo obtentum minus distincte crystallisatum ceterum cum priori conveniat.

□ Natrum carbonicum depuratum.

(Sal Sodae depuratum. Carbonas natricus cum Aqua depuratus.)

Gereinigtes kohlensaures Natron. (Gereinigtes Sodasalz.)

Rc. Natri carbonici crudi crystallisati quantum libet.

Catino stanneo polito ingestum super igne moderato cum spathula ferrea agita, donec integre in aqua cry-

stallisationis propria liquescat, dein liquor per brevius temporis spatium in quiete subsideat, ut salia aliena fundum petant, tum fluidum caute in ahenum stanneum defunde, tres quadrantes Aquae destillatae Partes adde, et ad ebullitionem aestuatum filtretur, et loco frigido, ut in crystallos abeat, seponatur.

Sint crystalli aut massae crystallinae subdiaphanae, indole a natro carbonico crudo non discrepantes, sed ab inquinamentis metallicis omnino, a salibus heterogeneis quantum fieri potest liberae, quod uti in Natro carbonico crudo exploratur.

□ Natrum carbonicum depuratum siccatum.

(Carbonas natricus depuratus.)

Getrocknetes kohlensaures Natron.

Crystallos Natri carbonici depurati grossiuscule tritas loco aprico, aut moderato hypocausti calori expone, donec in pulverem perfecte siccum fatiscant, quem in vase bene obturato loco sicco serva.

Eodem modo paretur et servetur:

Natrum sulphuricum depuratum siccatum.

(Sulphas natricus depuratus.)

Getrocknetes gereinigtes schwefelsaures Natron.

e Natro sulphurico depurato crystallisato.

Natrum muriaticum hyperoxygenatum seu chloricum.

(*Chloras natricus cum Aqua.*)

Hyperoxygenirtsalzsaures Natron. (*Chlorsaures Natron.*)

Rc. Acidi tartarici Uncias quinque.

Solve in

Aquae destillatae fervidae Libris duabus.

Adde

Natri carbonici depurati Uncias quatuor cum Drachmis quinque et dimidia.

Rc. Kali chlorici Uncias quatuor cum Granis quindecim.

Solve in

Aquae destillatae fervidae Unciis sedecim.

Solutiones adhuc fervidas invicem commisce, et loco frigido seponantur. Tum liquor a praecipitato filtratione separetur, ad cuticulam evaporet, et lege artis in crystallos redigatur.

Sint crystalli rhomboideae, seu tetragono-tabulares, albae, saporis parum austeri, pungentis, in tribus partibus aquae, etiam in spiritu vini rectificatissimo solubiles, in atmosphaera humida paullulum humescentes.

Natrum nitricum.

(Nitrum cubicum. Nitras natricus.)
Salpetersaures Natron. (Kubischer Salpeter.)

Rc. Natri carbonici depurati Unciam.
Solve in
Aquae destillatae Unciis quatuor
et adde
Acidi nitrici, quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquorem filtra, et lege artis evaporatione et refrigeratione in crystallos redige.

Sint crystalli rhomboideae, albae, in aëre humido humescentes, in calido fatiscentes, saporis kali nitrici, sed minus amari, in tribus partibus aquae solubiles.

Natrum phosphoricum.

(Soda phosphorata. Phosphas natricus cum Aqua.)
Phosphorsaures Natron. (Phosphorsaure Soda.)

Rc. Acidi phosphorici quantum vis,
Aquae destillatae Octuplum.
Mixtis sensim addatur
Natrum carbonicum depuratum,
donec hoc aliquantulum praevaleat. Liquorem filtratum evaporare fac, donec gutta lapidi instillata crystallos edat, tum in vase porcellaneo per viginti quatuor horas loco frigido ad crystallisationem seponatur. Crystallis

ortis liquor defusus iterum evaporet, ac refrigerationi committatur, quamdiu crystallos largitur, quas collectas, inter chartam bibulam siccatas statim in vitro bene obturando ingere et serva.

Sint prismata tetragona, tetragonaliter acuminata, majora, alba, recentia pellucida, atmosphaera calida celeriter fatiscentia, saporis subamari, subsalsi, mitis, refrigerantis, aestu tubi ferruminatorii in globulum fundenda, in aquae partibus quatuor, fervidae partibus duabus solubilia. Solutio aquosa addito liquore argenti nitrici praecipitatum dilute flavum edat, acido nitrico affuso plane iterum solvendum, addito liquore barytae nitricae praecipitatum album demittat acido nitrico affuso iterum evanescens.

□ Natrum sulphuricum depuratum crystallisatum.

(Sal mirabile Glauberi depuratum. Sulphas natricus cum Aqua depuratus.)

Gereinigtes krystallisirtes schwefelsaures Natron. (Gereinigtes Glaubersalz.)

Natrum sulphuricum crudum in Aquae communis quantitate sufficiente solvatur,

solutio filtretur, et lege artis in crystallos redigatur.

Hoc praeparatum parare licet etiam e residuo salino ex destillatione Acidi muriatici obtento.

Ad hunc finem residuum tritum et in Aqua communi coquendo solutum misceatur cum

Natri carbonici crudi quantitate sufficiente,

ut hoc aliquantulum praevaleat, et tum liquor filtratus lege artis in crystallos redigatur. Inter chartam bibulam celeriter siccatas vase obturato serva.

Sint crystalli columnares, hexa- aut octogonae, aut massae crystallinae albae, indolis natri sulphurici crudi, neutrae, ab inquinamentis metallicis prorsus, et calcaria sulphurica plane liberae, quod ope ammonii hydrosulphurati et ammonii oxalici exploratur.

□ Oleum Absinthii aethereum seu destillatum.

Aetherisches oder destillirtes Wermuthöl.

Rc. Herbae (Summitatum) Absinthii vulgaris cum semine fere maturo modice siccatae quantum vis,

Aquae fontanae Octuplum.

Fiat destillatio e vesica cuprea, stanno intus obducta, munitaque alembico una cum apparatu refrigeratorio e stanno puro confecto sub continua ebullitione. Dimidia Parte vel duabus tertiis Partibus Aquae adhibitae in excipulum transgressis cesset destillatio, et Oleum aethereum secundum artem separetur. Aqua destillata, Oleo saturata, cum nova Absinthii copia addita Aquae fontanae quantitate sufficiente denuo destilletur, et Oleum separetur. Haec agendi ratio repetatur, donec Olei desideratam quantitatem obtinueris.

Serva ut cetera Olea aetherea in vitro epistomio vitreo probe clauso, loco frigido, obscuro.

Coloris saturate viridis, influxu lucis in fuscum se mutantis, spissiusculum, ponderis specifici 0,960, saporis aromatico-amari, ingrati.

Eodem modo paretur:

□ Oleum Anisi aethereum.

Anisöl.

e seminibus probe contusis.

Coloris straminei, ponderis specifici 0,977, odoris proprii, saporis primum dulcis mitis, dein acriusculi, frigore concrescens in massam crystallinam.

Oleum Aurantiorum aethereum.

Pomeranzenöl.

e corticibus contusis.

Coloris flavi, fluidissimum, ponderis specifici 0,888, fragrans, saporis grati aromatici.

Oleum Calami.

Kalmusöl.

e radicibus concisis, cum copia aquae majori.

Coloris e rubro flavescentis, ponderis specifici 0,890—0,900, fragrantissimum, saporis amari, aromatici subcamphorati.

□ Oleum Carvi.
Kümmelöl.

e seminibus probe contusis.

Coloris pallide flavi, lucis accessu fuscescens, ponderis specifici 0,914, saporis calidi, acris, longe persistentis, odoris proprii.

Oleum Chamomillae aethereum.
Aetherisches Kamillenöl.

e floribus Chamomillae vulgaris.

Coloris saturate coerulei, fere nigri, consistentiae fere butyri, saporis amari, odoris proprii.

Oleum Cumini.
Römisches Kümmelöl.

e seminibus bene contusis.

Coloris e virescente flavi, ponderis specifici 0,975, odoris gravis, saporis fervidi aromatici.

□ Oleum Foeniculi.
Fenchelöl.

e seminibus bene contusis.

Coloris flavescentis, ponderis specifici 0,974, saporis dulciusculi, proprii mitis, odoris paris.

□ Oleum Juniperi.

Wachholderbeerenöl.

e baccis maturis, recenter collectis, contusis.

Coloris flavescentis, ponderis specifici 0,860—0,871, odoris proprii, saporis aromatici calidi. In spiritu vini rectificatissimo difficulter solvatur, facillime vero in alcohole absoluto.

Oleum Majoranae.

Majoranöl.

e herba florente concisa.

Recens coloris e viridi flavescentis, tandem fusci, facile lentescens, ponderis specifici 0,980, odoris minus grati quam herba.

Oleum Menthae crispae.

Krausemünzöl.

ex herba florente concisa.

Coloris flavescentis, interdum viriduli, perliquidum, ponderis specifici 0,898, fragrans, saporis proprii, amariusculi, subrefrigerantis.

□ Oleum Menthae piperitae.

Pfeffermünzöl.

ex herba florente concisa.

Coloris flavescentis, ponderis specifici 0,909, fragrans, saporis camphoracei, aestum ori excitantis, dein refrigerantis.

Oleum Rutae.
Rautenöl.

ex herba florente recenti concisa.

Coloris lucide flavi, ponderis specifici 0,890, graveolens, saporis ingrati, acriusculi.

Oleum Sabinae.
Sadebaumöl.

ex herba cum ramulis recentibus concisis.

Coloris ex albido flavescentis, perliquidum, ponderis specifici 0,924, graveolens, saporis amaro-acris, resinosi.

Oleum Salviae.
Salbeiöl.

ex herba florente concisa.

Coloris flavescentis, perliquidum, ponderis specifici 0,864, fragrans, saporis proprii aciduli subcamphorati.

Oleum Tanaceti.
Rainfarrnöl.

e floribus recentibus concisis.

Coloris lucide flavi, ponderis specifici 0,932—0,946, saporis acris, amari.

Oleum Thymi.

Thymianöl.

ex herba florente concisa.

Coloris pallide flavescenti-viriduli interdum rubescentis, perliquidum, ponderis specifici 0,874, fragrans, saporis calidi acris.

Oleum Valerianae.

Baldrianöl.

e radicibus concisis, modice siccatis.

Coloris lucide flavi, ponderis specifici 0,947, facile lentescens, graveolens, saporis amariusculi, subcamphorati.

Nota. *Omnium horum oleorum aethereorum guttula chartae albae inspissata super prunis caute aestuata tota diffugiat, relicta nulla macula oleosa.*

Oleum Absinthii coctum.

(Oleum Absinthii infusum.)

Gekochtes oder aufgegossenes Wermuthöl.

Rc. Herbae Absinthii recentis siccatae incisae Libram,
Olei Olivarum Libras quatuor.

Digerantur in lebete stanneo vel vase murrhino clauso per plures horas balneo aquae, tum oleum expri-

matur et seponatur, ut partes crassiores subsidant, tandem oleum limpidum defunde, et vase vitreo vel murrhino obturato serva ast nunquam ultra dimidium annum.

Sit limpidum, coloris e flavo viridis, odoris absinthii.

Eodem modo parentur et serventur:

Oleum Chamomillae coctum.
Gekochtes Kamillenöl.

e floribus Chamomillae vulgaris.

Coloris sit flavo-viridis, odoris chamomillae.

□ Oleum Hyoscyami coctum.
Gekochtes Bilsenkrautöl.

ex herbae recentis dupla quantitate.

Sit coloris viridis, odoris hyoscyami.

Oleum Hyperici coctum.
Gekochtes Johanniskrautöl.

e floribus Hyperici, in cujus praeparatione sub finem digestionis addatur radicis Alkannae concisae quantitas sufficiens, ut Oleum colorem rubrum adipiscatur.

□ Oleum Amygdalarum expressum.

Ausgepresstes Mandelöl.

Rc. Amygdalarum dulcium recentium nec rancidarum quantum vis.

Ope lintei crassioris pulverem eis adhaerentem deterge, tunc contusas et sacculo cilicino aut cannabino inclusas ope preli ferrei, laminis in aqua ferventi tepefactis, exprime, donec omne Oleum extrusum sit, quod per quietem defaecatum caute a faecibus defundatur, et in vase bene clauso servetur.

Sit limpidum, subflavescens, pingue-fluidum, ponderis specifici 0,914—0,920, odoris et saporis amygdalarum dulcium, non rancidum, et hinc chartae exploratoriae coeruleae colorem minime alterans, frigore glaciali non concrescens, vix in quadraginta partibus alcoholis absoluti solubile, cum aethere sulphurico omni proportione miscendum.

Eodem modo parentur:

Oleum Lini recens paratum.

Frisches Leinöl.

e seminibus Lini probe contusis.

Coloris pallide flavi, ponderis specifici 0,919, accessu aëris spissescens, frigore glaciali non concrescens.

Oleum Papaveris recens paratum.

Frisches Mohnöl.

e seminibus Papaveris probe contusis.

Flavescens, tandem aureum, limpidum, paullatim spissescens, ponderis specifici 0,920 — 0,925, frigore glaciali non concrescens, odoris fere expers, saporis grati dulciusculi.

Nota. *Ad paranda Olea frigide parata preli laminae non tepefactae adhibeantur.*

Oleum animale aethereum.

(Oleum animale Dippelii.)

Aetherisches thierisches Oel. (Dippel's thierisches Oel.)

Rc. Olei animalis foetidi quantum placet.

Infundatur cucurbitae vitreae, ope infundibuli, ne cucurbitae latera inquinentur. Tum alembico et vase recipiente applicatis beneque luto farinaceo et vesicis clausis fiat destillatio lenissimo igne, quamdiu oleum tenue elicitur. Oleum hoc modo obtentum eadem cautione cucurbitae novae cum Aquae quadruplo infundatur, et applicatis alembico ac vase recipiente blando calore denuo destillet, quamdiu limpidissimum aquae instar apparet. Immittatur illico lagenulis vitreis exacte epistomio vitreo obturandis, inverse sub aqua demergendis, et loco obscuro servandis.

Sit limpidissimum, coloris expers, aut parum flavescens, ponderis specifici 0,750, odoris gravissimi et aromatici, in spiritu vini rectificatissimo et aethere sulphurico solubile.

Oleum Cacao.
(Butyrum Cacao.)
Cacaoöl. Cacaobutter.

Semina Cacao leniter tosta, a testis liberata, et minutim confracta subtilissime terantur, in mortario ferreo modice calefacto, ut mos est in conficienda chocolata, tunc sacco cannabino densioris texturae includantur, et prelo ferreo modice calefacto exprimantur. Denuo balnei aquae calore liquatum Butyrum hoc ipso calore per chartam bibulam filtra, filtratum in capsulas e ferro laminato stanno obducto effunde, et Butyrum frigefactum rigidum in vase clauso loco frigido serva.

Sit recens coloris e flavescenti albi, qui temporis progressu pallescit, sebo ovillo paullo solidius, calore manus emolliens, ponderis specifici 0,892, odoris et saporis rancidi expers, sed cacao referentis, cum kali hydroiodico tritum ne colorem flavum acquirat.

Oleum camphoratum.
Kampheröl.

Rc. Camphorae Partem unam.
Solve terendo in
Olei Olivarum Partibus octo.
Paretur ex tempore.

Oleum Chamomillae citratum.

Citronenölhaltiges Kamillenöl.

Rc. Florum Chamomillae vulgaris sine stipitibus eodem anno collectorum Libras triginta.

In vesicam destillatoriam immissis impraegna

Olei Corticis Citri Uncia dimidia

et affunde

Aquae fontanae quantitatem sufficientem

et fiat lege artis destillatio.

Oleum destillatum et Aquam destillatam cum nova Florum Chamomillae et Olei de Cedro praescripta copia addita Aquae fontanae quantitate sufficiente tam saepe destilletur, donec Olei desiderata quantitas obtenta fuerit.

Sit coloris saturate coerulei, odoris fragrantis florum chamomillae, saporis aromatici penetrantis longe persistentis.

Nota. *Hoc Oleum dispensetur, nisi Oleum Chamomillae aethereum simplex praescriptum fuerit.*

□ Oleum Cantharidum coctum seu infusum.

Gekochtes oder aufgegossenes spanisches Fliegenöl.

Rc. Cantharidum in grossiorem pulverem tritarum Uncias quatuor,

Olei Olivarum provincialis Uncias sedecim.

Digerantur per sex horas balneo aquae in vase vitreo, per linteum trajiciantur, exprimantur, et tum Oleum per chartam bibulam filtretur.

Serva caute in vitro clauso.

□ Oleum Caryophyllorum aethereum.

Gewürznelkenöl.

Rc. Caryophyllorum aromaticorum Libras duas.

In pulverem redactis adde

Natri muriatici Libras duas,

Aquae fontanae Libras sedecim.

Macerentur per horas duodecim, et destillentur. Aqua destillata, Oleo in fundo excipuli subsidente, defundatur, et iisdem Caryophyllis residuis affundatur, ut denuo destillet, quae agendi ratio pluries repeti potest. Oleum obtentum cum priori misce, et uti cetera Olea aetherea caute serva.

Recens coloris straminei, dein flavi, tandem rubri, sit limpidum, nondum vetustate fuscescens, ponderis specifici 1,042, fragrantissimum, saporis aromatici, proprii, urentis.

Pari modo parari potest:

□ Oleum Cassiae aethereum.

Cassienöl.

ex cortice Cassiae cinnamomeae aut e floribus Cassiae.

Coloris flavescentis, mox aurei, ponderis specifici 1,045, minus fragrans quam oleum cinnamomi, et saporis minus dulcis, magis pungentis.

Oleum Cinnamomi acuti aethereum.

Zimmtöl.

ex cortice Cinnamomi acuti.

Coloris lutescentis, mox fulvi, ponderis specifici 1,035, fragrantissimum, saporis primum dulciusculi, dein calidi, peraromatici.

Oleum Macidis aethereum.

Macisöl.

e Macide.

Coloris fulvi, paullulum spissum, ponderis specifici 1,040, odoris macidis grati, saporis ab initio mitis, postea acris.

Oleum Sassafras aethereum.

Sassafrasöl.

e ligno Sassafras.

Coloris citrini, ponderis specifici 1,094, fragrans, saporis acris aromatici.

Oleum Lini sulphuratum.

(Balsamum Sulphuris simplex.)

Geschwefeltes Leinöl. (Einfacher Schwefelbalsam.)

Rc. Olei Lini Libram.

In vase terreo vitreato aut ferreo sat capaci et alto calefacto sensim adde

Sulphuris citrini pulverati Uncias tres.

Coque spathula semper movendo et effervescentiam evitando, donec massa spissescat, et refrigerata gelatinae instar colore fusco-rubro appareat.

Serva in vase porcellaneo charta cerata tecto.

In oleo terebinthinae plane solvatur.

Oleum Ovorum.

Eieröl.

Rc. Ovorum gallinaceorum coctione in Aqua induratorum quantum vis.

Vitelli exemti in sartagine ferrea leni calore agitentur ope pistilli lignei, donec rufescant; et inter digitas pressi Oleum emittere incipiant. Tum sacculo inclusos et inter laminas tepefactas positos ope preli exprime Oleum.

Sit frigore spissum, opacum, coloris vitellini, calefactum fluidusculum, saporis mitis.

Oleum phosphoratum.
Phosphoröl.

Rc. Phosphori bene sicci et concisi Grana duodecim.
Immitte in phialam
Olei Amygdalarum Unciam
continentem, quam in Aquam calidam immerge, ut Phosphorus liquetur. Tum vas agitetur, donec Phosphorus solutus appareat, dein refrigeratum a Phosphoro forsan secreto caute decantha, et Guttas duas Olei Caryophyllorum adde. Paretur ex tempore.

Oleum Succini rectificatum.
Gereinigtes Bernsteinöl.

Oleum Succini crudum cum Aquae fontanae Sextuplo
mixtum e retorta vitrea destillet, ita ut tertia Pars prioris remaneat. Serva destillatione obtentum.

Sit coloris flavescentis, odoris specifici bituminosi, ponderis specifici 0,880.

Eodem modo paretur:

Oleum Terebinthinae rectificatum.
Gereinigtes Terpenthinöl.

Sit coloris expers.

Petroleum rectificatum.

Gereinigtes Steinöl.

Sit flavescens.

Oleum contra Taeniam seu Chaberti.

Bandwurmöl. Chabert's Oel.

Rc. Olei Terebinthinae Uncias duodecim,
animalis foetidi Uncias quatuor.

Retortae vitreae ope infundibuli curvati immissis, adjuncto excipulo, blanda destillatione eliciantur
Unciae duodecim,
statim in vasa vitrea parva bene obturanda immittendae.

Sit flavescens, limpidum, odoris foetidissimi et terebinthinacei.

Oleum Terebinthinae sulphuratum.

(Balsamum Sulphuris terebinthinatum.)

Geschwefeltes Terpenthinöl. (Schwefelterpenthinbalsam.)

Rc. Olei Lini sulphurati Partem unam,
Terebinthinae Partes tres.

Digerendo solutum in vase bene clauso serva.

Sit limpidum, rubro-fuscum.

□ Oxymel Aeruginis.

(Linimentum Aeruginis, loco Unguenti aegyptiaci.)
Grünspansauerhonig. Grünspanliniment.

Rc. Aeruginis pulveratae Uncias tres,
Aceti vini Libras duas.

Coque, donec Unciae decem supersint. Filtra et adde
Mellis despumati Libras duas.

Evaporent ad Libras duas. Serva in vase murrhino.

Sit lucide e purpureo fuscum, odoris acetici, melliti, metallici. Rejiciatur quod diutius asservatum nimiam copiam cupri oxydati demiserit.

Oxymel Colchici.

Zeitlosensauerhonig.

Rc. Aceti Colchici Libram,
Mellis despumati Libras duas.

Mixta in lebete stanneo coquantur ad mellis despumati spissitudinem. In vase bene obturato loco frigido serva.

Sit limpidum, fuscum, ab empyreumate liberum, ac saporis acris.

Eodem modo paretur:

□ Oxymel scilliticum.

Meerzwiebelhonig.

ex Aceto scillitico.

Sit limpidum, fuscum, ab empyreumate liberum, saporis amari acris.

□ Oxymel simplex.

Einfacher Sauerhonig.

Rc. Aceti vini Libram,

Mellis albi Libras duas.

Mixta in lebete stanneo ebulliant, despumentur, colentur et in lebete stanneo ad mellis spissitudinem coquantur. Serva loco frigido in vasis bene obturatis.

Sit limpidum, flavescens, et ab empyreumate liberum.

Pasta Cacao cum Lichene islandico.

(Chocolata cum Lichene islandico.)

Cacaoteig mit isländischem Moos. (Isländische Mooschokolate.)

Rc. Lichenis islandici Uncias quatuor.

Infunde

Aquae fontanae fervidae Libras duas,

in quibus solutae sunt

Kali carbonici depurati Drachmae duae.

Macerentur per nychthemeron subinde agitando. Tum liquore defuso Lichenem aqua frigida probe ablue, sicca et in pulverem redige.

Hujus pulveris Unciis tribus

adde

Cacao tostae et decorticatae in mortario ferreo calido in massam subtilissimam redactae,

Sacchari albi pulverati, singulorum Libram cum dimidia,

Radicis Salep pulveratae Drachmas tres.

Massam intime mixtam aut in tabulas quadratas forma, aut refrigeratam in pulverem redige.

Pasta gummosa.

(Loco Pastae de Althaea.)

Gummilederzucker. Gummiteig.

Rc. Gummi arabici pulverati,

Sacchari albissimi pulverati, singulorum Libras duas.

Solve lege artis in

Aquae communis Libris sex.

Sepone solutum per horas viginti quatuor, ut subsidendo depuretur, tum decantha, et in lebete cupreo leni calore spathula lignea continue agitando ad mellis spissitudinem evaporet. Lebete ab igne remoto agitetur sedulo ac celeriter ut albescat. Tum lebete iterum igni lenissimo admoto, per vices admisceantur albumina ovorum recentium cum Aquae Florum Aurantiorum Unciis

duabus in spumam densam redacta numero triginta sex, et agitentur, donec massae aliquantulum exemtum a spathula mota non amplius defluat. Tandem effundatur in capsulas papyraceas super telam *Gaze* dictam expansam positas, bene obtegendas, et loco calido caute exsiccandas. Tum leni humectatione chartam separa, pastam iterum exsicca, et in taleolas scissam loco sicco serva.

Sit alba, levis, haud tenax, et in ore facile tota solvatur.

Pasta Helicum.

(Pasta Limacum.)

Schneckenteig.

Rc. Helicum vivorum quantum volueris,

Caedantur in pastam pultaceam, quae sacculo linteo inclusa exprimatur;

Juris sic obtenti gelatinosi Libra,

Pulveris Gummi arabici Unciae duae,

Sacchari albi pulverati Unciae quatuor

exacte misceantur et in vase porcellaneo, sub lenissimo calore, evaporent, usque dum massa manibus non amplius adhaeruerit, denique ex ea formentur pastae oblongae vel quadratae, quae, ne chartae adhaereant, amylo conspergantur, leni calore super charta exsiccentur, et in loco sicco serventur.

Sit coloris e purpureo fusci, inodora, et in ore tota facile solvatur.

Pasta Liquiritiae seu Glycyrrhizae.

(Gelatina Liquiritiae)

Lakrizenteig. Reglise.

Rc. Radicis Liquiritiae decorticatae concisae Uncias quatuor.

Macera per noctem in

Aquae communis Libris octo.

In infuso colato sensim solvantur

Gummi arabici Librae duae cum dimidia,

Sacchari albissimi Libra cum dimidia.

Stent per duodecim horas, iterumque colata leni igne, sine agitatione, empyreumate caute evitando evaporent, dum pellicula de superficie nonnunquam detrahatur, donec gutta laminae metallicae frigidae instillata gelatinae spissae instar appareat. Tunc detracta pellicula caute effunde in sartaginem calidam, et ex hac, postquam bullae disparuerint, in cistulas planas e laminis ferreis stanno obductis paratas, et tantillo Olei Amygdalarum inunctas. Pastam modico calore sufficienter exsiccatam et in taleolas scissam loco sicco serva.

Sit coloris e fusco flavi, diaphana, ab empyreumate libera, et in ore facile solvatur.

Pilulae aperientes.

Eröffnende Pillen.

Rc. Extracti Aloës Drachmam,
Rhei compositi Drachmam dimidiam,
Ferri pulverati Grana quindecim.
Fiant lege artis Pilulae Numero 45.
Parentur ex tempore.

††† Pilulae coeruleae seu e Cupro sulphurico-ammoniato.

Blaue Pillen. Kupfersalmiakpillen.

Rc. Cupri sulphurico-ammoniati Grana sedecim,
Micae Panis albi Scrupulos quatuor,
Liquoris Ammonii caustici quantum sufficit,
ut fiat massa pilularis. Formentur exinde Pilulae 64.
Parentur ex tempore.

Quaevis pilula continet partem quartam grani unius cupri sulphurico-ammoniati.

††† Pilulae Hydrargyri muriatici corrosivi seu Pilulae majores Hoffmanni.

Aetzende salzsaure Quecksilberpillen. Hoffmann's grössere Pillen.

Rc. Hydrargyri muriat. corros. Grana quindecim.

In

Aquae destillatae Uncia dimidia

ope caloris exacte solutis adde

Micae Panis recentis albissimi Drachmas duas,

Pulveris Sacchari albi Drachmam dimidiam.

Fiant lege artis Pilulae Numero 120.

Parentur ex tempore.

Quaevis pilula continet partem octavam grani unius hydrargyri sublimati corrosivi.

Pilulae purgantes.

(Pilulae Jalapae.)

Purgirpillen. Jalapenpillen.

Rc. Saponis jalapini Partes tres,

Radicis Jalapae pulveratae Partem unam.

Misce, et fiat massa pilularis, ex qua formentur Pilulae ponderis Granorum duorum.

Pilulae purgantes cum Hydrargyro.

(Loco Pilularum e resina Jalapae.)

Purgirpillen mit Quecksilber.

Rc. Saponis jalapini Partes octo,

Hydrargyri muriatici mitis Partem unam,

Tincturae Corticum Aurantiorum sufficientem quantitatem.

Fiat massa pilularis exactissime mixta, et talis consistentiae, ut Pilulae ex ea formatae figuram suam retineant, etsi digito prementi paullo cedant. Formentur lege artis Pilulae singulae ponderis Granorum duorum.

Serva in vase clauso.

Octodecim pilulae continent saponis jalapini grana sedecim, et hydrargyri muriatici mitis grana quatuor.

Pilulae Rufi seu Aloës cum Myrrha.

Aloë-Myrrhenpillen. Rufus Pillen.

Rc. Aloës lucidae Uncias duas,
Croci,
Myrrhae, utriusque Unciam dimidiam,
Syrupi Foeniculi quantum satis,

ut fiat massa formandis Pilulis apta, ex qua formentur Pilulae singulae ponderis Granorum duorum.

Pilulae scilliticae.

Meerzwiebelpillen.

Rc. Pulveris Scillae Drachmam,
Saponis medicati,
Zingiberis, singulorum Drachmas tres,

Pulveris Gummi Ammoniaci Drachmas duas.

Misce, fiat cum mucilagine Gummi arabici massa pilularis, e qua formentur Pilulae singulae ponderis Granorum duorum.

□ ††† Plumbum aceticum depuratum.

(Saccharum Saturni depuratum. Acetas Plumbi cum Aqua depuratus.)

Gereinigtes essigsaures Blei. (Gereinigter Bleizucker.)

Rc. Plumbi acetici crudi Partes duodecim,

Solve in

Aquae destillatae calidae quantitate sufficiente,

admiscendo

Aceti diluti Partem unam.

Liquor filtretur et in crystallos redigatur. Fluidum remanens, eadem Aceti diluti copia addita, evaporet, ut denuo crystallos demittat, et operatio repetatur, quoties crystalli coloris expertes obtinentur. Caute in vase bene obturato loco obscuro serva.

Rejiciantur crystalli, quae in aqua destillata solutae, sedimentum demittunt. Quoad cetera signa probitatis vid. Plumbum aceticum crudum.

Potio Riverii.

Riverisches Tränkchen.

Rc. Kali carbonici puri Drachmam,
Succi Citri recens expressi Unciam cum dimidia vel quantum sufficit ad saturationem,
Aquae destillatae Unciam cum dimidia.

Si Acetum dilutum (destillatum) desideratur, Unciae duae Aceti diluti adhibeantur.

Paretur ex tempore.

Pulpa Prunorum.

Pflaumen- oder Zwetschenmark.

Rc. Prunorum damascenorum recentium maturorum quantum volueris.

Enucleatis et cacabo stanneo immissis affundatur Aquae fontanae quarta Prunorum ponderis pars, et sub perpetua agitatione cum bacillo ligneo super leni igne in pulpam coquantur, postea per cribrum setaceum terendo transmittantur, et Pulpa transmissa rursus cacabo, antea autem mundato, ingeratur ac continue agitando lenissimo igne ad Syrupi spissioris consistentiam inspissetur. Singulis Pulpae Libris admisceantur

Sacchari albi Unciae duae.

Fiat evaporatione continuata Electuarium spissum.

Servetur Pulpa in vase murrhino locoque frigido et sicco probe clausa.

Sit nigro-fusca, ab omni empyreumate libera, saporis dulciusculi. Cum aqua bulliente diluta immissum ferrum politum ne cuprum prodat.

Nota. *Si Pruni damasceni probae notae non ad manus sint, Pulpa Prunorum cruda venalis addita Aquae fontanae quantitate sufficiente per cribrum setaceum trajiciatur, et uti supra tractetur.*

Pulpa Tamarindorum.

Tamarindenmark.

Rc. Tamarindorum quantum vis.

Macera in Aquae fontanae pari pondere, et tere per cribrum setaceum. Trajectum blando calore assidue agitando in lebete stanneo ad mellis consistentiam evaporet, et tunc unicuique Librae adde

Sacchari albi pulverati Uncias duas.

Fiat, evaporatione continuata, Electuarium spissum. Serva in vase murrhino loco frigido sicco.

Sit nigro-fusca, splendens, saporis acidi grati. Cum aqua bulliente diluta immissum ferrum politum cuprum ne prodat.

Pulvis aërophorus.

Brausepulver.

Rc. Pulveris Natri carbonici aciduli Grana triginta quatuor,
Acidi tartarici Drachmam dimidiam,
Sacchari albissimi Drachmam.

Exsicca singula seorsim et misce.

Pulvis alterans Plummeri seu Edinburgensis.

Plummersches Pulver.

Rc. Hydrargyri muriatici mitis quantum vis.

Contrito in mortario lapideo sub continua tritura admisceantur paulatim

Sulphuris stibiati aurantiaci Partes aequales.

Paretur ex tempore, nec diutius asservetur.

Pulvis Ari compositus seu Birkmanni.

Birkmann's oder Zusammengesetztes Aronwurzelpulver.

Rc. Pulveris Radicis Ari Uncias duas,
Calami aromatici,
Pimpinellae albae, singulorum Unciam,

Lapidum Cancrorum Unciam dimidiam,
Cinnamomi Drachmas tres,
Natri carbonici Drachmas tres.
Misce, et serva in vase clauso.

Pulvis aromaticus.
Gewürzhaftes Pulver.

Rc. Cinnamomi acuti pulverati Uncias duas,
Cardamomi minoris excorticati Unciam,
Piperis albi,
Radicis Zingiberis, singulorum pulveratorum Unciam dimidiam.
Misce et in vase bene obturato serva.

Pulvis dentifricius niger.
Schwarzes Zahnpulver.

Rc. Pulveris subtilissimi Carbonis Tiliae Unciam,
Corticis Chinae fuscae Unciam dimidiam,
Myrrhae Drachmas duas.
Misce.

Pulvis dentifricius ruber.
Rothes Zahnpulver.

Rc. Tartari depurati Uncias quatuor,
Radicis Iridis florentinae Uncias duas,

Myrrhae,
Sanguinis Draconis, singulorum Unciam.
Pulveratis adde
Olei Caryophyllorum Guttas quindecim.
Serva in vitro bene clauso.

Pulvis digestivus.

Digestivpulver.

Rc. Pulveris Kali sulphurici Uncias duas,
Radicis Rhei moscovitici Unciam,
Ammonii muriatici Unciam dimidiam.

Trituratione in mortario vitreo perfecte mixta serventur in vitro clauso.

Pulvis digestivus Kleinii.

Klein's Digestivpulver.

Rc. Pulveris Flavedinis Corticum Aurantiorum,
Kali tartarici,
Radicis Rhei moscovitici, singulorum Unciam.

Misce exactissime triturando in mortario lapideo, et serva in vitro clauso.

Pulvis Foeniculi compositus.

(Pulvis galactopoeus Rosensteinii.)

Zusammengesetztes Fenchelpulver.

Rc. Magnesiae carbonicae Unciam,
Flavedinis Corticum Aurantiorum,
Seminis Foeniculi, singul. Drachmam unam,
Sacchari albi Drachmas duas.

Misceantur ut fiat Pulvis. Paretur ex tempore.

Pulvis fumalis optimus.

Bestes Räucherpulver.

Rc. Olibani Libras duas,
Benzoës,
Styracis Calamitae, singulorum Libram dimidiam,
Florum Lavandulae,
Rosarum rubrorum, singulorum Uncias quatuor.

Contundantur in mortario lapideo in pulverem grossiorem, et probe mixta serventur in vase clauso.

□ Pulvis Magnesiae cum Rheo.

(Pulvis Infantum.)

Kinderpulver.

Rc. Magnesiae carbonicae Uncias duas cum dimidia,

Radicis Rhei moscovitici Unciam cum dimidia,
Sacchari albi Unciam dimidiam,
Olei Foeniculi Guttas quindecim.
Misce, fiat Pulvis. Serva in vitro clauso.

Nota. *Si hic pulvis sub nomine **Pulveris Infantum Hensleri** (Henslerisches Kinderpulver) praescribatur, admisceatur Saponis medicati Uncia dimidia relate ad Quantitatem prius memoratam.*

□ Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

(Pulvis Doweri.)

Ipecacuanhapulver mit Opium. Dower's Pulver.

Rc. Kali sulphurici Unciam,
Opii pulverati,
Radicis Ipecacuanhae pulveratae, singulorum Drachmam.
Misce exacte. Serva in vitro bene clauso.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Zusammengesetztes Süssholzpulver.

Rc. Pulveris Radicis Liquiritiae,
Foliorum Sennae, singulorum Uncias duas,

Pulveris Seminis Foeniculi,
Sulphuris depurati, singulorum Unciam,
Sacchari albi Uncias sex.
Misce exacte. Serva in vase clauso.

Pulvis mundificans.

Blutreinigendes Pulver.

vide
Electuarium mundificans.

Pulvis refrigerans.

Kühlendes Pulver.

Rc. Pulveris Acidi tartarici Unciam dimidiam,
Sacchari albissimi Uncias sex,
Olei de Cedro Guttas tres.
Misce.

Pulvis resolvens.

(Pulvis stibiatus.)

Auflösendes Pulver.

Rc. Kali sulphurici Uncias quatuor,
nitrici,
Stibii oxydati albi, singulorum Uncias duas.
Misce et serva in vitro.

Pulvis sternutatorius.

Niespulver.

Rc. Herbae Majoranae pulveratae Uncias tres,
Mari veri,
Florum Convallariae majalis,
Radicis Iridis florentinae, singulorum pulveratorum Unciam.

Misce et serva in vitro probe clauso.

□ Pulvis stypticus.

Blutstillendes Pulver.

Rc. Pulveris Aluminis crudi,
Colophonii,
Gummi arabici, singulorum Uncias duas.

Misce et serva in vitro clauso.

Pulvis temperans.

Temperirpulver.

Rc. Pulveris Kali nitrici depurati,
Tartari depurati, singulorum par pondus.

Misce. Paretur ex tempore.

Pulvis Visci compositus.

Zusammengesetztes Mistelpulver.

Rc. Pulveris Visci querni,
Magnesiae carbonicae,
Radicis Paeoniae, singulorum Unciam,
Radicis Iridis florentinae Unciam dimidiam,
Folia Auri concisa Numero sex.

Misce.

□ Resina Jalapae.

Jalapenharz.

Rc. Radicis Jalapae Libras quatuor.

In pulverem grossiusculum redactae cucurbitae vitreae immittantur, et affundantur

Spiritus vini rectificati Librae decem.

Digerantur sub crebra versatione in balneo arenae leni calore per tres dies, postea spiritus decanthetur, ejusque eadem quantitas ac antea residuo denuo affundatur, et post digestionem duorum dierum in balneo arenae iterum decanthetur. Residuum preli ope exprimatur, quo facto tres hi liquores misceantur, et ad subsidentiam seponantur. Post decanthationem addantur

Aquae fontanae Librae sex,

et destillando e vesica destillatoria omnis spiritus ab-

strahatur. Resina fundo vesicae adhaerens eximatur, et aqua frigida et denique fervida probe abluatur. Liquor in cucurbita relictus adhuc resinae copiam continet, quae sub evaporatione forma grumorum fundum petit, aqua frigida probe abluta, priori admiscenda. Omnis resina vasi evaporatorio vitreo immittatur, et in balneo aquae exsiccetur, usque dum portiuncula ejus laminae politae frigidae imposita non amplius tenax sed fragilis sit. Tum resina in bacillos formetur et leni calore exsiccata in vase clauso et loco sicco caute servetur.

Extus sit profunde e cinereo fusca, sicca, rimosa, intus nigrescens et nitida, valde fragilis, in aëre non humescens, in spiritu vini rectificatissimo penitus et facillime solubilis, et ex hac solutione aqua affusa praecipitata liquore kali caustici addito cum limpiditate iterum solvatur, solutioque ulterius addito liquore kali caustici minime turbetur. Prunis inspersa odorem spargat nec terebinthinaceum nec aloëticum, sed radici jalapae cultro fervido derasae peculiarem.

Rob antisyphiliticum.

(Syrupus Sarsaparillae compositus.)

Antisyphilitisches Muss. (Zusammengesetzter Sarsaparillenzuckersaft.

Rc. Radicis Sarsaparillae Libras duas et Uncias octo,

Ligni Quajaci Uncias octo.

Decoque ter cum

Aquae communis quantitate sufficiente,

et in tertia coctione sub finem adde

Foliorum Sennae,
Herbae Borraginis officinalis,
Rosarum rubrarum, singulorum Uncias duas.

Liquores colatos et commixtos evapora ad remanentiam Librarum trium et Unciarum quatuor, tum adde

Mellis albi,
Sacchari albi, singulorum Libras duas.

Inspissa ad consistentiam Rob ita ut pondus sit circiter Librarum quinque et Unciarum decem.

Serva in vase porcellaneo.

Rob Dauci vid. Succus Dauci inspissatus.

Rob Juniperi vid. Succus Juniperi inspissatus.

Rob Nucum.

Wallnussmuss.

E nucleis Juglandis immaturis in mortario lapideo cum pauxillo Aquae fontanae contusis exprime succum, quem cum

Mellis despumati Pari pondere

in lebete stanneo ad consistentiam mellis coquendo in-

spissa, sub finem addendo pro quavis Libra Succi
Cinnamomi acuti Drachmas duas.

Sit e nigro fuscum, ab empyreumate et cupro liberum.

□ Rotulae Menthae piperitae.

Pfeffermünzkügelchen.

Rc. Sacchari albissimi pulverati quantum volueris.

Sartagini cupreae, stanno probe obductae, rostratae ingesto admisce Aquae Menthae piperitae, quantum satis, ut fiat massa spissitudinis unguenti, cui igni admotae sub continua agitatione probe calefactae et liquatae ingere

Sacchari albissimi quantum satis

ut guttulae exemtae indurescant; tunc admisce cuilibet Unciae Sacchari

Olei Menthae piperitae Guttas duodecim,

quo facto fiant cito lege artis effundendo Rotulae.

Sint siccae, albae, odoris et saporis olei menthae piperitae insignis.

Sapo guajacinus.

Guajakseife.

Rc. Liquoris Kali caustici quantum vis,
Aquae destillatae Duplum.

In vase idoneo calefactis per vices adde

Resinam Guajaci nativam pulveratam,

donec ultima portiuncula non soluta remaneat. Tum liquor colatus leni calore ad massae pilularis consistentiam evaporet.

Sit coloris viridi-fusci, saporis et odoris resinae guajaci, nec non nimis alkalini, solutione in aqua viridi-fusca limpida.

Sapo jalapinus.

Jalapenseife.

Rc. Resinae Jalapae,

Saponis medicati rasi, singulorum Uncias duas,

Spiritus vini rectificati quantum requiritur,

ut leni digestione solvantur. Solutio ad massae pilularis consistentiam evaporet, ita ut totius massae remanentis pondus sit Unciarum quatuor cum dimidia.

Sit e fusco griseus, tritus ex albo griseus, in spiritu vini rectificatissimo et liquore kali caustici solubilis, solutione in posteriori ulterius addito liquore kali caustici non turbanda.

□ Sapo medicatus.

Medicinische Seife.

Liquori Natri caustici in vase figulino admisce Olei Olivarum provincialis recentissimi Duplum. Seponatur

vas loco temperato, et per vices sedulo agitetur massa spathula lignea, donec homogenea appareat, ac spissescere incipiat. Tum effundatur in cistas ligneas planas, et seponatur loco non nimis calido. Indurata scindatur in taleolas, quas modico calore exsiccatas charta cerata serva.

Sit durus, albus, lubricus nec oleosus, nec nimis alkalinus, nec rancidus.

Sapo stibiatus.

(Sapo antimonialis.)

Spiessglanzseife.

Rc. Sulphureti Stibii et Natrii caute siccati
Unciam dimidiam.

Solve in

Aquae destillatae Unciis duabus cum dimidia

adde

Saponis medicati Unciam cum dimidia

et trituratione exacte misce. Tum evaporet miscela leni calore ad siccitatem. Pulveratam massam serva in vitro bene clauso.

Sit coloris ex albo pallide rutili, siccus, et affuso acido muriatico colorem intense aurantiacum induat.

Sapo terebinthinatus.

(Balsamum Vitae externum.)

Terpenthinseife. Lebensbalsam zum äusserlichen Gebrauch.

Rc. Saponis hispanici pulverati,
Olei Terebinthinae, singulorum Libram,
Kali carbonici depurati Uncias duas.

Misceantur exacte, et fiat Massa unguento similis flavescens.

Serum Lactis.

Molken.

Rc. Lactis vaccini recentis, cui cremor omnis ademtus est, Libras quatuor.

Ebulliant in lebete cupreo, intus stanno probe obducto, tum ingere

Tartari depurati Scrupulos quatuor usque sex.

Mixta ebulliant iterum. Coagulatione partis caseosae peracta liquorem semirefrigeratum cola, et tum, ut penitus clarus evadat, adde

Albumen Ovorum duorum in spumam conversum.

Post unicam ebullitionem serum per chartam bibulam filtra.

Paretur ex tempore.

Copia dicta lactis praebet Uncias triginta et duas seri limpidi coloris flavescentis.

Serum Lactis aluminatum.

Alaunmolken.

Paretur eodem modo ut prius, ita tamen ut Tartari depurati loco ad lac coagulandum

Aluminis crudi pulverati Scrupuli quatuor

adhibeantur; nec non

Serum Lactis tamarindinatum.

Tamarindenmolken.

loco Tartari depurati

Tamarindorum Uncias duas

adhibendo.

Serum Lactis vinosum.

Weinmolken.

Rc. Lactis vaccini recentis a cremore liberati
Libras tres,

Vini rhenani Uncias octo.

Coagulo deposito cola.

Paretur ex tempore.

Sinapismus fortior.

Scharfer Senfteig.

Rc. Pulveris grossi Sinapis nigrae Unciam dimidiam,
Piperis hispanici Drachmam,
Rasurae Radicis Armoraciae recentis,
Fermenti Panis, singulorum Unciam,
Aceti concentrati quantum satis,
ut fiat Pasta.

Paretur ex tempore.

Sinapismus simplex.

Einfacher Senfteig.

Rc. Seminis Sinapis nigrae pulverati Unciam,
Farinae Secalis Unciam dimidiam,
Aceti Vini quantum satis,
ut fiat Cataplasma mollioris consistentiae.

Paretur ex tempore.

□ Species aromaticae.

(Loco Specierum pro Cucupha.)

Gewürzkräuter.

Rc. Herbae Majoranae,
Menthae piperitae,
Roris marini,
Serpylli,

Florum Lavandulae, singulorum Uncias duas,
Caryophyllorum Unciam.

Minutim concisa misceantur. Serva in vase vitreo vel e ferri laminis stanno obductis confecto probe clauso.

□ Species emollientes ad Cataplasma.

Erweichende Kräuter zum Breiumschlag.

Rc. Herbae Malvae,
Florum Chamomillae vulgaris,
Meliloti citrini,
Sambuci,
Radicis Althaeae,
Seminis Lini, singulorum Partes aequales.

Incidantur et contundantur simul in pulverem grossiusculum, quem uti ceteras Species in scriniis tectis serva.

□ Species ad Decoctum Lignorum.

Holztrankspecies.

Rc. Ligni Guajaci Libram cum dimidia,
Sassafras,
Radicis Bardanae,
Caricis arenariae,

Radicis Liquiritiae,
Saponariae, singulorum Libram dimidiam,
Seminis Anisi contusi Unciam.
E quibus concisis et mixtis fiant Species.

□ Species ad Infusum pectorale.

Kräuter zum Brustthee.

Rc. Radicis Althaeae Uncias quatuor,
Iridis florentinae,
Liquiritiae,
Herbae Farfarae,
Hederae terrestris, singulorum Uncias duas,
Florum Rhoeados,
Verbasci,
Seminis Anisi stellati, singulorum Unciam.
Concisa contusa misceantur.

□ Species resolventes externae.

Auflösende Species zum äussern Gebrauch.

Rc. Herbae Absinthii,
Melissae,

Herbae Menthae piperitae,
Origani, singulorum Uncias quatuor,
Florum Chamomillae vulgaris,
Sambuci, singulorum Uncias tres,
Baccarum Lauri Uncias duas.

Incisa et contusa misceantur.

Species ad suffiendum.

Räucherkräuter.

vide

Pulvis fumalis optimus.

Spiritus Angelicae compositus.

(Spiritus theriacalis.)

Zusammengesetzter Engelwurzelgeist. Theriakgeist.

Rc. Radicis Angelicae Libram,
Herbae Scordii Libram dimidiam,
Baccarum Juniperi,
Radicis Valerianae sylvestris, singulorum Uncias tres.

Concisis et contusis in vesica destillatoria affunde,
Spiritus vini rectificati Libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur Librae sex, in quibus solve
Camphorae Unciam cum dimidia.
Serva in vitro bene clauso.

Sit limpidus, et aqua addita valde turbetur.

□ Spiritus Cochleariae.

Löffelkrautgeist.

Rc. Herbae Cochleariae florentis recentis Libras duodecim.

Concisis affunde
Spiritus vini rectificati Libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.
Destillent Librae sex.
Serva in vitro probe clauso.

Sit limpidus, coloris expers, odoris ac saporis cochleariae insignis, spirituosi, ponderis specifici 0,885—0,890.

Spiritus Cochleariae compositus.

(Spiritus antiscorbuticus.)

Zusammengesetzter Löffelkrautgeist. Antiskorbutischer Geist.

Rc. Spiritus Cochleariae Libram,
Liquoris pyro-tartarici Uncias octo.

Mixtis sensim instilla

Acidi sulphurici crudi (anglici) Unciam,

et destilla e retorta vitrea ad siccum.

Serva in vase bene clauso.

□ Spiritus Lavandulae.

Lavendelgeist.

Rc. Florum Lavandulae siccatorum Libram,
Spiritus vini rectificati Libras quatuor,
Aquae fontanae quantum satis.

Post macerationem per viginti quatuor horas destillando elice Libras quatuor.

Serva in vitro bene clauso.

Sit limpidus, coloris expers, odoris florum lavandulae, ponderis specifici 0,885 — 0,890,

Eodem modo parentur:

Spiritus Juniperi.

Wachholderbeerengeist.

e Baccis Juniperi contusis.

□ Spiritus Rorismarini.

Rosmaringeist.

ex herba concisa.

Spiritus Serpylli.

Quendelgeist.

ex herba concisa.

Sint limpidi, et singuli odorem corporis, super quod destillarunt, fortiter spargant.

□ Spiritus Lavandulae compositus.

Zusammengesetzter Lavendelgeist.

Rc. Spiritus vini rectificatissimi Libras quatuor,
Cassiae cinnamomeae,
Nucum moschatarum, singulorum Unciam dimidiam,
Rasurae Ligni Santali rubri Drachmas tres.

Digere per hebdomadem in cucurbita vitrea, quam vesica irrigata, acu perforata clauseris calore 25 — 30 °, dein filtra et adde
Olei Lavandulae Drachmas sex,
Roris marini Drachmas duas.

Serva in vitro clauso.

Sit limpidus, coloris laete rubri, odoris et saporis ingredientium.

Spiritus Masticlies compositus.

(Spiritus matricalis.)

Zusammengesetzter Mastixgeist. Muttergeist.

Rc. Mastiches,
Myrrhae,
Olibani, singulorum Uncias tres,
Spiritus vini rectificati Libras sex.

Macera per horas viginti quatuor, et destillando elice Libras quatuor cum dimidia.

Sit limpidus, odoris myrrhae, et affusa aqua lactescat.

Spiritus Melissae compositus.

(Aqua carmelitana.)

Zusammengesetzter Melissengeist. Carmeliterwasser.

Rc. Herbae Melissae recentis Libras duas,
Corticum Citri recentium Uncias quatuor,
Nucum moschatarum,
Radicis Angelicae, singulorum Uncias tres,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cassiae cinnamomeae, singulorum Unciam.

Quibus concisis et contusis affunde
Spiritus vini rectificati Uncias sex,
Aquae Melissae Libras tres.

Macerentur per triduum, dein destillando eliciantur Librae septem. Serva in vitro obturato.

Sit limpidus, odoris ac saporis aromatici, spirituosi.

□ Spiritus muriatico-aethereus.

(Spiritus Salis dulcis.)

Salzätherweingeist. (Versüsster Salzgeist.)

Rc. Salis communis exsiccati Uncias sedecim,
Mangani hyperoxydati nativi pulverati Uncias sex.

Mixtis et cucurbitae vitreae immissis caute superfunde
Acidi sulphurici crudi (anglici) Libram,
antea cum
Spiritus vini rectificatissimi Libris quatuor
caute mixtam. Imposito alembico applica excipulum aquae frigidae immissum, et juncturis vesica clausis destilla leni igne circiter Uncias triginta sex, quas, si Acido aut Mangano muriatico inquinatae fuerint, supra
Magnesiae ustae Unciam unam
rectifica. In vitris bene obturatis serva.

Sit limpidus, coloris expers, odoris proprii spirituoso-aetherei, saporis paris aromatici, ponderis specifici 0,830 — 0,840, colorem chartae exploratoriae coeruleae ne permutet, ac cum aqua destillata mixtus affuso liquore argenti nitrici ne turbetur.

□ Spiritus nitrico-aethereus.

(Spiritus Nitri dulcis.)

Salpeteräthergeist. Versüsster Salpetergeist.

Rc. Kali nitrici depurati pulverati Libram,
Acidi sulphurici anglici Libram,
Spiritus vini rectificatissimi Libras tres.

Spiritui vini in cucurbita vitrea successive instillando admisceatur Acidum sulphuricum. Miscela refrigerata affundatur Nitro in cucurbita vitrea, cui imponatur alembicus, et adaptetur excipulum aquae frigidae immittendum. Juncturis ope luti farinosi et vesicarum clausis instituatur destillatio in balneo arenae calore lenissimo usque fere ad siccitatem residui. Destillatum supra

Magnesiae ustae Unciam dimidiam

rectifica, et in lagenulis parvis penitus replendis ac bene obturatis, additis cuivis lagenae Magnesiae ustae Granis nonnullis, loco frigido serva.

Sit limpidus, coloris expers, odoris aetherei proprii grati, minime nitrosi, saporis paris subaromatici, dulciusculi, ab acido quantum fieri potest liber, ponderis specifici 0,840—0,845.

Spiritus Roris marini saponatus.

Seifenhaltiger Rosmaringeist.

Rc. Saponis hispanici Uncias quatuor,
Spiritus vini rectificati Libras duas,

Camphorae Uncias duas,
Olei Roris marini Unciam dimidiam.
Solve et filtra.

□ Spiritus saponatus.

Seifengeist.

Rc. Saponis hispanici albi rasi Libram,
Spiritus vini rectificatissimi Libras tres,
Aquae Rosarum Libram.
Solve digerendo et filtra.

Sit limpidus, colore flavescente, et aquam rosarum redoleat.

□ Spiritus sulphurico-aethereus.

(Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.)

Schwefeläthergeist. Hoffmann's schmerzstillender mineralischer Liquor. Hoffmann'sche Tropfen.

Rc. Aetheris sulphurici Partem unam,
Spiritus vini rectificatissimi Partes tres.
Mixta stent per hebdomadem in vase clauso, et tum ex retorta leni calore destillentur. Serva in vase clauso.

Sit limpidus, coloris expers, et ab inquinamentis, quae ae-

theri sulphurico inesse possunt, liber, ponderis specifici 0,825 — 0,830.

Spiritus sulphurico-aethereus camphoratus vid. Liquor nervinus.

Spiritus sulphurico-aethereus martiatus.

(Liquor anodynus martiatus. Tinctura nervina Bestuscheffii.)

Eisenhaltiger Schwefeläthergeist. Schmerzstillender Eisenliquor. Bestuscheff's Nerventinctur.

Rc. Ferri muriatici oxydati in minima Aquae parte soluti Partem unam.

Misce quassando in vase vitreo cum

Aetheris sulphurici Partibus duabus.

Liquor supernatans separetur, et hujus Pars una misceatur cum

Spiritus vini alcoholisati Partibus duabus.

Miscelam in vasis oblongis parvis bene obturatis radiis solis expone, donec color omnis evanuerit. Tum in vasis bene clausis loco aprico serva.

Sit liquor coloris expers aut flavescens, nec fuscus, ponderis

specifici 0,830—0,840, et addito liquore kali caustici praecipitatum ex albo viride aut coeruleo-virens demittat.

□ Spiritus Vini alcoholisatus.
Alkoholisirter Weingeist.

Spiritus vini rectificatissimus cum Kali carbonici depurati siccissimi Parte sedecima in vase obturato conquassetur, et operatio cum pari quantitate Kali carbonici repetatur, donec Kali siccum remaneat, ad quem finem obtinendum operatio haec quater vel quinquies repetenda. Liquor decanthatus destillet, ita ut e Partibus quatuor transeant tres, et pondus specificum totius Spiritus destillati sit = 0,810 — 0,820, vel in 100 Partibus contineat 94 ad 90 Alcoholis absoluti. Servetur in vasis bene clausis. — Cum Spiritu vini rectificatissimo conveniat, et tantum pondere specifico diversus.

□ Spiritus Vini camphoratus.
Kampherhaltiger Weingeist.

Rc. Camphorae tritae Unciam,
Spiritus vini rectificati Libram.

Stent loco frigido ad Camphorae solutionem usque. Serva in vase obturato.

Sit limpidus, coloris expers, odoris camphorae specifici insignis, ponderis specifici 0,880, aqua affusa camphoram demittat.

□ Spiritus Vini rectificatissimus.

(Alcohol Vini.)

Höchst rectificirter Weingeist. (Weinalkohol.)

Rc. Spiritus vini rectificati quantum libet.

Destilla leni igne, quamdiu pondere specifico 0,835 —0,845, vel 84 ad 80 absoluti Alcoholis in 100 Partibus continens transit. Serva in vitro obturato, loco frigido.

Sit limpidus, coloris expers, odoris, etiam inter manus fricatus, spirituosi, puri, sine ulla admixtione odoris ingrati olei aetherei frumenti *Fuselöl* dicti, ponderis specifici dicti.

□ Spiritus Vini rectificatus.

Rectificirter Weingeist.

Rc. Spiritus Frumenti quantum placet.

Stet super carbonem vegetabilem recenter ustum grossiuscule pulveratum in vesica cuprea intus probe stanno obducta per duos vel tres dies, subinde agitando. Tum alembico ac apparatu refrigeratorio e stanno anglico confectis adaptatis leni igne destilletur, quamdiu ponderis specifici 0,875 — 0,880, vel in 100 Partibus 63 — 65 Alcoholis absoluti continens in excipulum stillat. Serva in vitro probe clauso.

Iisdem characteribus insignis sit, uti spiritus vini rectificatissimus, solummodo dicto pondere specifico discrepans.

Nota. *Loco Spiritus vini rectificati adhiberi quoque potest Spiritus vini gallici fortior sub nomine Spril venalis, si pondere specifico dicto gaudet aut parum decedit.*

Spongiae ceratae.

Wachsschwamm.

Spongiae marinae tenues mundatae et exsiccatae Cera flava liquefacta probe infectae, adhuc calentes sub prelo tepido arctissime comprimantur, ibique relinquantur, usque dum refrixerint.

Stibium oxydatum album.

(Antimonium diaphoreticum ablutum. Acidum stibiosum cum Acido stibico.)

Weisses Spiessglanzoxyd. Abgewaschenes schweisstreibendes Spiessglanz.

Rc. Stibii sulphurati nigri Partes duas,
Kali nitrici depurati Partes quinque.

Pulverata et mixta injiciantur successive in crucibulum amplum et leniter candens, Partem Stibii oxydulatam, lateribus crucibuli superioribus adhaerentem sollicite immiscendo. Detonatione peracta massa adhuc per semihoram candescat, tunc cochleari ferreo eximatur, teratur et adhuc calida

Aquae destillatae Decuplo

infundatur. Sub agitando instilletur

Acidum sulphuricum,

donec hoc aliquantulum praevaleat, et digeratur. Tandem sedimentum sollicite edulcoratum et siccatum in pulverem subtilissimum redigatur.

Sit pulvis albus, absque odore et sapore in aceto diluto non solubilis, et flammae tubi ferruminatorii super carbone expositus in globulos metallicos fundatur, continuato aestu sub forma fumi albi difflandos.

††† Stibium oxydulatum fuscum.

(Crocus Metallorum. Oxydum stibiosum cum Sulphureto Stibii mixtum.)

Braunes Spiessglanzoxydul. Metallsafran.

Rc. Nitri depurati et siccati,
Stibii sulphurati nigri, singulorum Partes aequales.

In pulverem redacta et bene mixta per vices immittantur in crucibulum candens. Detonatione peracta massa metallica gravior in crucibuli fundo haerens a scoriis albicantibus separetur, et in pulverem subtiliorem redigatur, aqua fervida excoquatur, et sedulo edulcoretur ac siccetur. Serva in vitro obturato.

Sit pulvis fuscus, subtilis, inodorus, insipidus, in aqua fervida fere insolubilis, aestu fundatur, et refrigeratus vitrum referat, in acido muriatico calefacto usque ad residuum floccosum

fusco-rubrum parcissimum solutus praeponderante acido et aqua destillata admixta praecipitatum album edat.

□ Stibium sulphuratum laevigatum seu praeparatum.

Feingeriebenes Schwefelspiessglanz.

Stibium sulphuratum venale in mortario ferreo contritum et per cribrum trajectum super lapidem expolitum ac durum affusa parva copia aquae laevigetur, ut fiat pulvis subtilissimus, loco tepido siccandus, et vitro obturato asservandus.

Stibium sulphuratum nigrum.

(Sulphuretum Stibii nigrum.)

Schwarzes Schwefelspiessglanz.

Rc. Stibii venalis subtilissime pulverati Uncias viginti et unam,
Sulphuris depurati Uncias novem.

Intime mixta et in crucibulum immissa strato Salis communis bene siccati crassitie pollicis tege, et igni expone, ignemque ita intende, ut crucibulum per semihoram candescat. Tum crucibulum exime, et hoc refrigerato et diffracto massam cohaerentem chalybeo-griseam splendentem ac radiosam, a scoria et Stibio, si adest, separa, et serva.

Iisdem characteribus physicis et chemicis insigne sit ut Stibium sulphuratum venale purum.

Nota. *Pharmacopola solummodo ad hoc praeparatum recurrat, si idonea encheiresi Stibium sulphuratum venale Arsenico inquinatum invenerit, quo in casu Stibium hoc sulphuratum artificiale Stibio sulphurato venali in omnibus praeparationibus, in quibus hoc praescriptum est, substituat.*

Strychninum.

Strychnin.

Rc. Nucum vomicarum raspatarum Libras duas.

Digerantur per biduum cum

Spiritus vini rectificati Libris octo

antea mixtis cum

Acidi sulphurici concentrati Drachma.

Defuso liquido denuo digerantur per biduum cum

Spiritus vini rectificati Libris sex

antea mixtis cum

Acidi sulphurici concentrati Drachma dimidia.

Liquor a residuo cum expressione separetur, et liquores filtrati et commixti cum Carbonis animalis sufficiente quantitate per aliquot horas digerantur, iterum filtren-

tur, et Spiritus vini in apparatu idoneo destillatione abstrahatur, donec residuum circiter sit ponderis Librae et dimidiae. Huic affunde sub perpetua agitatione cum bacillo vitreo vel porcellaneo

Solutionem saturatam Kali carbonici aciduli,

donec alcali paulisper praevalere incipiat. Liquori ope filtrationis a sedimento separato affunde

Liquoris Kali caustici cum duplo Aquae destillatae diluti tantum quantum solutionis Kali carbonici saturati additum fuerat.

Praecipitatum sic obtentum in filtro collectum cum Aqua communi ablutum, siccatum et pulveratum bis cum Quadruplo Spiritus vini alcoholisati in vitro clauso iteratim per nonnullas horas conquassetur, et defuso liquore spirituoso residuum adjuvante calore in sufficiente quantitate Spiritus vini alcoholisati solvatur, et refrigeratione et evaporatione in pulverem crystallinum redigatur.

Sit pulvis albus, granuloso-crystallinus, inodorus, saporis intensissime amari, dein submetallici, in aqua temperatura media fere insolubilis, in spiritus vini alcoholisati partibus viginti quatuor solvendus, flamma tubi ferruminatorii sine residuo diffugiens, addito acido nitrico fortiori colorem rubrum induens, qui mox in viridem abit.

Color intensius ruber exinde exortus, qui subsistit, contaminationem cum majori copia *Brucini* indicat.

□ Succus Baccarum Sambuci inspissatus.

(Rob Sambuci.)

Eingedickter Fliedersaft. (Fliedermuss.)

Rc. Succi Baccarum Sambuci maturarum expressi et subsidendo colandoque defaecati Partes octo,
Sacchari albi Partem dimidiam.

Coque leni calore ad Syrupi spissioris consistentiam.

Sit e nigro fuscus, in aqua solutione parum turbida e nigrescenti-fusca solubilis, saporis e dulci aciduli.

□ Succus Dauci inspissatus.

(Rob Dauci.)

Eingedickter Möhrensaft. (Möhrenmuss.)

Rc. Radicum Dauci recentium lotarum et rasarum quantum libet.

Sacco linteo inclusis exprimatur prelo succus, qui semel ebulliendo ac colando clarificetur, et leni igne in lebete stanneo sub perpetua agitatione ad mellis consistentiam evaporet. Serva in vase murrhino charta tecto loco frigido sicco.

Sit e rutilo fuscus, in fila ductus diaphanus, consistentiae dictae, odoris proprii aciduli, saporis dulcis, ab empyreumate liber.

□ Succus Juniperi inspissatus.

(Rob Juniperi.)

Eingedickter Wachholderbeerensaft. (Wachholdermuss.)

Baccae Juniperi maturae recenter collectae et contusae coquantur ex Aqua fontana, donec mollescant, tum modice exprimantur. Liquor expressus subsidendo et colando depuratus primo leni calore deinde in balneo aquae ad mellis consistentiam inspissetur. In vase murrhino charta bene tecto loco frigido sicco serva.

Sit e nigrescente fuscus, in aqua solutione turbida fusca solubilis, saporis quodammodo juniperini, dulcis, denique amaricantis, ab empyreumate liber.

□ Succus Liquiritiae seu Glycyrrhizae depuratus.

Gereinigter Lakritzensaft.

Succus Liquiritiae crudus in frustula dissectus maceretur in Aqua communi, ut solubile solvatur. Solutum per pannum linteum colatum primo leni igne, dein in balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam inspissetur, tunc loco calido siccatum in pulverem redige, et in vitro clauso loco sicco serva.

Sit saporis dulcissimi, sub finem acriusculi. Solvatur in aqua nullo fere relicto sedimento.

Nota. *Quod hi succi a cupro plane liberi sint, eodem modo ut in extractis exploratur.*

□ Sulphur depuratum lotum.

(Flores Sulphuris loti.)

Gewaschener gereinigter Schwefel.

Sulphur depuratum primum cum octava circiter Parte Aquae communis probe misceatur, tum majori copia Aquae communis repetito abluatur, donec ab adhaerente acido perfecte liberatum sit, tum inter chartam bibulam premendo ab humore, quantum fieri potest, liberetur, siccetur, et per cribrum trajectum in vase bene obturato servetur.

Sit coloris dilutioris quam sulphur depuratum non lotum, et omnis acidi adhaerentis expers.

□ Sulphur praecipitatum.

(Lac Sulphuris.)

Niedergeschlagener Schwefel. (Schwefelmilch.)

Rc. Liquoris Kali caustici quantum placet.

Ferventi in sartagine ferrea per vices et perpetua sub agitatione ingere

Sulphuris depurati

quantum liquor Kali caustici solvere valet. Liquorem cum triplo Aquae communis mixtum per viginti quatuor horas in vase tecto sepone. Tum decanthatione et fil-

tratione per chartam bibulam depurato sensim sub perpetua agitatione ope bacilli porcellanei instilla

Acidi sulphurici diluti

quantum ad praecipitationem Sulphuris requiritur, caute evitando Gas hydrosulphuratum suffocans inde natum. Tum adde

Aquae tepidae Duplum.

Praecipitatum residere fac, et liquorem defunde. Sedimentum per vices cum Aqua communi edulcora usque eo, ut partes salinae plane elotae sint, inter chartam bibulam premendo ab humore libera, calore modico sicca, et contritum in vase clauso serva.

Sit pulvis subtilissimus, vix et sine crepitu palpabilis, albidus aut e cinereo flavescens, inodorus, insipidus, in igne totus diffugiens. Aqua ex illo nil solvat.

Sulphur stibiatum aurantiacum.

(Sulphur auratum Antimonii. Subbisulphuretum Stibii cum Aqua.)

Orangefarbiges geschwefeltes Spiessglanz.
(Spiessglanzgoldschwefel.)

Procede eodem modo uti in praeparatione Natrii sulphurato-stibiati praescriptum est, sed liquorem sepositione et filtratione a sedimento liberatum loco reductionis ad crystallisationem coque cum

Sulphuris depurati Uncia dimidia

sub perpetua agitatione, et renovatione aquae vapora-

tae per semihoram. Post refrigerationem filtra, et liquori filtrato et cum Duplo Aquae destillatae diluto instilla

Acidum sulphuricum dilutum

quamdiu praecipitatum aurantiacum inde efficitur, quod a liquore defundendo separa, et Aqua communi iteratim edulcora. Tum filtro exceptum inter chartam bibulam preme, loco umbroso temperatura viginti gradus non excedente sicca, et in vase bene obturato contra lucem munito serva.

Sit pulvis subtilis, digitis terentibus fere insensibilis, coloris aurantiaci, insipidus, in tubo vitreo aestuatus sublimatum flavum nullo modo rubrum edat, ac residuum stibio sulphurato haud dissimile relinquat, in liquore kali caustici coquendo plane, in acido muriatico relicta circiter septima parte sulphuris solvatur, et solutio acidi tartarici coquendo vix centesimam partem extrahat.

Sulphur stibiatum rubeum.

(Kermes minerale. Sulphuretum Stibii cum Aqua.)
Braunrother Spiessglanzschwefel. (Mineralkermes.)

Procede eadem ratione uti in praeparatione Sulphuris stibiati aurantiaci, eo tamen discrimine, quod liquor Natri sulphurato-stibiati haud cum Sulphure coquatur sed cum Sextuplo Aquae destillatae diluatur, et

Acidum sulphuricum dilutum

sub agitatione cum bacillo porcellaneo instilletur, quam-

diu praecipitatum inde efficitur, quod eadem encheiresi uti Sulphur stibiatum aurantiacum edulcora, sicca et serva.

Sit pulvis subtilis, vix palpabilis, rubro-fuscus, insipidus, inodorus, in tubo vitreo excandefactus neutiquam sublimatum, sed tantum aquam edat, ac in stibium sulphuratum griseo-fuscum mutetur, prunis injectus non inflammetur, vixque sulphur accensum redoleat, in acido muriatico penitus aut paucissimo tantum sulphure relicto solvatur, simul gas hydrosulphuratum eructans, et solutio aquosa acidi tartarici coquendo ad summum decimam partem extrahat.

Sulphuretum Natrii et Stibii vid. Natrium sulphurato-stibiatum.

□ Syrupus Althaeae.

Eibischzuckersaft.

Rc. Radicis Althaeae decorticatae Uncias duas,
Aquae communis Libras tres.
Coque ut Unciae viginti septem supersint.
In decocto colato solve
Sacchari albi Libras quatuor.

Fiat ebullitione unica in lebete stanneo Syrupus, quem per pannum laneum cola, et serva in vase clauso vel porcellaneo loco frigido.

Sit flavescens, et talis consistentiae ut gutta ejus laminae frigidae instillata a lamina inclinata minime illico defluat, sed adhaerescat, et vitrum aquae destillatae Unciam recipiens syrupi capiat circiter Drachmas decem cum Scrupulis duobus.

Nota. *Omnes ceteri Syrupi uti Syrupus Althaeae serventur.*

Syrupus Ammoniaci.

Ammoniakzuckersaft.

Rc. Ammoniaci depurati Uncias duas,
Vini albi gallici Uncias decem.

Solve et admisce

Sacchari albi ad consistentiam tabulati cocti Uncias sedecim.

Agita usque dum refrigeret Syrupus.

Syrupus Amygdalarum.

(Syrupus emulsivus.)

Mandelnzuckersaft.

Rc. Amygdalarum dulcium Uncias decem,
amararum Uncias duas.

Decorticatis et in mortario idoneo cum pauxillo aquae ad pultem tenuem contusis sensim terendo adde

Aquae communis Libras duas.

Exprime ope preli, cola per pannum laneum et in emulsionis expressae Unciis viginti solve

Sacchari albissimi Libras tres.

Calore lenissimo fiat Syrupus, cui per pannum laneum colato adde

Aquae Florum Aurantiorum Uncias duas.

Serva.

Syrupus Berberidum.

Berberizenzuckersaft.

Rc. Baccarum Berberidis maturarum quantum placet.

Contusae stent per dies tres, deinde exprime, et quiete defaeca. Hujus

Succi Unciis viginti

adde

Sacchari albissimi Libras tres.

Semel in lebete stanneo ebulliendo fiat Syrupus per pannum laneum colandus.

Sit coloris rubri, grate aciduli.

Eodem modo parentur:

Syrupus Cerasorum.

Kirschenzuckersaft.

e succo Cerasorum acidorum, cum nucleis contusorum.

Coloris intense rubri.

Syrupus Ribium.

Johannisbeerenzuckersaft.

e succo fructuum Ribium rubrorum.

Coloris rubri, saporis grate acidi.

Syrupus Rubi fruticosi.

(Loco Syrupi Mororum.)

Brombeerenzuckersaft.

e baccis maturis.

Coloris saturate rubri, Syrupo *Mororum* substituendus.

□ Syrupus Rubi idaei.

Himbeerenzuckersaft.

e baccis maturis.

Coloris rubri, saporis grati parum aciduli.

Syrupus Succi Citri.

(Syrupus Acetositatis Citri.)

Citronenzuckersaft.

e succo Citri.

Coloris flavescentis, saporis acidi.

□ Syrupus Chamomillae.

Kamillenzuckersaft.

Rc. Florum Chamomillae vulgaris Uncias quatuor.

Infunde

Aquae communis ferventis quantitate sufficiente.

In colatura Unciarum viginti solve

Sacchari albi Libras tres,

ut fiat Syrupus.

Coloris fusco-flavi, odoris chamomillae.

□ Syrupus Capitum Papaveris.

(Syrupus Diacodion.)

Mohnkopfzuckersaft.

Rc. Capitum Papaveris nondum plane maturorum concisorum Uncias sex,

Radicis Liquiritiae concisae Uncias quatuor,

Aquae communis ferventis Libras sex.

Macera per nychthemeron et evaporare fac, donec pars dimidia aquae supersit, cola cum expressione et coque cum

Sacchari albi Libris quatuor

ad Syrupi consistentiam.

Sit e fusco flavus, saporis perdulcis liquiritiae.

Syrupus Chinae.

Fieberrindenzuckersaft.

Rc. Pulveris grossiusculi Corticis Chinae fuscae
Uncias quatuor,
Cassiae cinnamomeae Unciam,
Vini rubri gallici generosi Libras duas cum dimidia.

Macera saepius agitando per triduum, deinde exprimendo cola. Colaturae admisce

Sacchari albi Uncias duas et triginta.

Solve blandissimo calore et cola, ut sit Syrupus.

Coloris e rubente fusci, saporis dulcis et simul leviter amaro-adstringentis.

Syrupus Cinnamomi.

Zimmtzuckersaft.

Rc. Cinnamomi acuti in pulverem grossiusculum redacti Uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae Libram,
Rosarum Uncias duas.

Digerantur in vase clauso loco tepido per triduum. In

Colatura Unciarum undecim

blando calore solve

Sacchari albi Libram cum dimidia,
ut fiat Syrupus.

Coloris e rubente fusci, odoris et saporis cinnamomi.

□ Syrupus Corticum Aurantiorum.

Pomeranzenschalenzuckersaft.

Rc. Corticum Aurantiorum recentium optime ab substantia interiori mundatorum Uncias quatuor.

Minutim concisis affunde

Vini albi gallici Libras duas cum dimidia.

Macerentur in vase vitreo clauso et loco calido per biduum, exprimantur et Unciis viginti post colaturam addantur

Sacchari albi ad consistentiam tabulati cocti Librae tres

et miscela probe conquassando in Syrupum redigatur.

Coloris e flavescente fusci, odoris aurantiorum, saporis grate e dulci amari.

Syrupus Croci.

Safranzuckersaft.

Rc. Croci Unciam dimidiam,
Vini gallici albi Libram.

Stent in leni digestione per aliquot horas. In

Liquoris colati Unciis decem

solve blando calore

Sacchari albi Libram cum dimidia

ut fiat Syrupus.

Coloris aurantiaci, odoris croci insignis.

Syrupus Florum Aurantiorum.

Pomeranzenblüthenzuckersaft.

Rc. Aquae Florum Aurantiorum Uncias decem,

Sacchari albissimi Libram cum dimidia.

Fiat Syrupus.

Coloris dilute flavescentis, odoris florum aurantiorum.

Syrupus Foeniculi.

Fenchelzuckersaft.

Rc. Seminum Foeniculi contusorum Uncias duas.

Perfunde

Aquae fervidae quantitate sufficiente,

ut post lenem digestionem per duas horas et colationem supersint

Unciae quatuordecim,

in quibus solve

Sacchari albi Libras duas.

Fiat Syrupus.

Coloris dilute fusci, odoris foeniculi.

□ Syrupus Liquiritiae seu Glycyrrhizae.

Lakritzenzuckersaft.

Rc. Radicis Liquiritiae decorticatae concisae Uncias octo.

Infunde

Aquae communis fervidae Libras tres.

Post macerationem per aliquot horas coque leniter per horae quadrantem. Liquor expressus evaporet, donec supersint Unciae quatuordecim, quibus adde

Sacchari albi,

Mellis despumati, singulorum Libras duas.

Ebullitione unica fiat Syrupus.

Coloris flavo-fusci, saporis perdulcis liquiritiae.

□ Syrupus Mannae.

Mannazuckersaft.

Rc. Foliorum Sennae Uncias quatuor,

Seminis Foeniculi Unciam dimidiam,

Aquae communis fervidae Libras duas.

Stent in vase clauso per aliquot horas. In liquoris colati et expressi Unciis octodecim solve

Sacchari albi Libras duas,

Mannae Libram dimidiam.

Ebulliant semel, et cola.

Sit syrupus coloris e fusco flavi, odoris sennae et foeniculi mixti, saporis similis dulcis.

Syrupus opiatus.

Opiumzuckersaft.

Rc. Extracti Opii aquosi Grana viginti quinque.
In Vini malacensis Uncia solutis admisce
Syrupi Liquiritiae Uncias viginti quatuor.

Nota. *Uncia una hujus Syrupi continet Granum unum Extracti Opii.*

□ Syrupus Rhei.

(Loco Syrupi de Cichorio cum Rheo.)
Rhabarberzuckersaft.

Rc. Radicis Rhei chinensis concisae Uncias tres,
Cassiae cinnamomeae contusae Drachmas sex,
Kali carbonici depurati Drachmas duas.
Affunde
Aquae communis bullientis Libras duas.
Digere per noctem.
Colaturae Unciarum viginti
adde
Sacchari albi Libras tres,
ut fiat Syrupus.

Coloris e fusco rubri, odoris et saporis rhei, simul dulcis.

Syrupus Rhoeados.

Klatschrosenzuckersaft.

Rc. Florum Rhoeados siccatorum Uncias tres,
Aquae communis fervidae Libras duas.

Macere per noctem. E colatura Unciarum viginti fiat cum

Sacchari albi Libris tribus

ebullitione unica Syrupus.

Coloris ruberrimi.

Syrupus Scillae.

Meerzwiebelzuckersaft.

Rc. Aceti scillitici Libram cum dimidia,
Cassiae cinnamomeae concisae,
Radicis Zingiberis concisae, singulorum Unciam.

Post digestionem per triduum in vase vitreo colentur, et addantur

Sacchari albi Unciae triginta.

Fiat unica ebullitione in vase porcellaneo et colando Syrupus.

Coloris fusci.

Syrupus Senegae.

Senegazuckersaft.

Rc. Radicis Senegae concisae Unciam,
Aquae communis fervidae Libram cum dimidia.
Coque ad colaturam Unciarum decem. Adde
Sacchari albi Libram cum dimidia,
et fiat Syrupus.

Coloris flavescentis, saporis dulcis et peculiaris senegae.

□ Syrupus simplex.

Einfacher Zuckersaft.

Rc. Sacchari albi Libras tres.
Solve in
Aquae communis Unciis viginti.
Tum albumine ovorum depurando fiat Syrupus.

Flavescens.

Syrupus Violarum.

Veilchenzuckersaft.

Rc. Florum Violarum recentium a calycibus mundatorum Uncias octo,
Aquae communis fervidae Libras duas.

Stent in vase stanneo per horas duodecim. Liquoris colati Unciis viginti adde

Sacchari albi Libras tres.

Leni calore in vase stanneo fiat Syrupus.

Coloris intense violacei, addito liquore kali carbonici in viridem mutandi, odoris violarum.

Syrupus Zingiberis.

Ingwerzuckersaft.

Rc. Radicis Zingiberis concisae Uncias duas.

Infunde

Aquae communis fervidae Uncias sedecim.

Digerantur per horas quatuor et colentur. In colatura Unciarum tredecim leni calore dissolve

Sacchari albi Libras duas,

quo facto unica ebullitione fiat Syrupus.

Fuscescens, e dulci aromatico-acris.

□ Tartarus boraxatus.

(Cremor Tartari solubilis.)

Boraxhaltiger Weinstein. (Auflöslicher Weinsteinrahm.)

Rc. Boracis Libram dimidiam.

In vase idoneo

Aquae destillatae bullientis Decuplo

soluto adde per vices et sub continua agitatione cum spathula lignea

Tartari depurati pulverati Libram cum dimidia, vel quantum solvitur.

Liquorem vasi murrhino immissum ad refrigerandum post viginti quatuor noras filtra, et in simili vase, balneo arenae superimposito, calore sub finem blando evaporare fac, donec pars exemta post refrigerationem facile in pulverem redigatur. Sal exemtum dein super chartam per duas horas temperatura triginta gradus non excedente siccatum, in pulverem redige, et vase porcellaneo probe obturato immissum loco temperato serva.

Sit pulvis albus, facile accessu aëris humescens, saporis sat acidi non ingrati, cum pari pondere aquae solutionem primo subturbidam, mox claram praebens, quae addito liquore kali borussici et aquae hydrosulphuratae a metallis libera reperiatur.

□ Tartarus depuratus.

(Cremor Tartari. Bitartras kalicus cum Aqua.)

Gereinigter Weinstein. Weinsteinrahm.

Crystalli Tartari ab inquinamentis heterogeneis rudioribus seligendo et cribro separatae, aqua fontana frigida abluantur, et iterum siccatae in mortario ferreo in pulverem subtilem terantur.

Sit pulvis subtilissimus et albissimus, in aqua coquendo sine residuo solubilis.

□ Tartarus natronatus.

(Sal Seignette. Tartras kalico-natricus cum Aqua.)
Natronisirter Weinstein. (Seignettesalz.)

Rc. Natri carbonici crudi quantum placet.
Solve in
Aquae communis fervidae Sextuplo.
Lixivio in vase stanneo bullienti sensim adde
Tartari depurati quantum satis,
ut Natrum fere neutralisetur. Liquorem sepone per aliquot horas, tum filtratum lege artis in crystallos redige. Has, si opacae apparent, in
Aquae destillatae fervidae Partibus tribus
solve. Tum solutio filtretur, et in crystallos redigatur, quas collectas ablutasque sicca, et in vitro clauso serva.

Sint crystalli columnares, quadri-, sex- et octolaterae, saepe dimidiatae, coloris expertes, perfecte pellucidae, in aquae partibus duabus solubiles, saporis amaricantis salsi, ab inquinamentis metallicis prorsus, a calcaria tartarica quantum fieri potest liberae, quod uti in kali tartarico exploratur.

□ ††† Tartarus stibiatus.

(Tartarus emeticus. Tartras kalico-stibicus.)
Spiessglanzweinstein. Brechweinstein.

Rc. Kali nitrici depurati pulverati,
Stibii sulphurati laevigati, singulorum Uncias duas.

Intime mixta partitis dosibus successive ingere in miscelam ex

Acidi sulphurici anglici Unciis duabus,
Aquae destillatae Unciis viginti,

quae in patina porcellanea ad ebullitionem calefacta est, et sub continua agitatione cum spathula vitrea usque ad siccitatem evaporare fac. Residuum cum

Aquae communis Unciis viginti

ebulliat et sollicite cum Aqua edulcoretur. Admisceantur tum

Tartari depurati Unciae duae,

et intime mixta in vase porcellaneo cum

Aquae destillatae quantitate sufficiente

diluantur ad pultis tenuis consistentiam, et deinde in balneo arenae per tres ad quatuor horas sub perpetua agitatione, aqua evaporata subinde restituta, calefiant ad 60—70 gradus, donec massa sit syrupiformis et attactu non amplius sabulosa. Tum decoquatur massa cum

Aquae destillatae Unciis sedecim

per quadrantem horae, et solutio inde obtenta adhuc fervida filtretur, et per refrigerationem et evaporationem crystalli ex illa eliciantur quamdiu illas demittit. Omnes sic collectae crystalli siccentur et in pulverem subtilem terantur, quem in lagenam vitream ingestum cum

Aquae destillatae frigidae Partibus quatuordecim

saepe conquassando agita, ut, quantum fieri potest, solvatur. Solutio denuo filtretur et evaporet in vase por-

cellaneo ad crystallisationis punctum, seponendo tunc promovendae. Mutuum hoc evaporationis et crystallisationis negotium tamdiu prosequaris, quamdiu obtinueris crystallos rite formatas et incolores, quae inter chartam bibulam bene siccatae, et tritura in pulverem subtilem redactae in vitro probe clauso serventur.

Tartarum stibiatum inspissatione lixivii ad siccum paratum nunquam adhibe.

Sit pulvis albissimus, in partibus quatuordecim vel quindecim aquae destillatae temperatura media, et in tribus bullientis sine residuo solubilis. Solutio chartam exploratoriam coeruleam levi rubore imbuat, et cum aqua hydrosulphurata acido muriatico acidula mixta praecipitatum aurantiaco-rutilum demittat, neque instillatis guttulis nonnullis aceti concentrati a liquore kali borussici mutetur, nec addito liquore cupri ammoniacalis virescat, vel praecipitatum viride edat.

□ Tinctura Absinthii.

Wermuthtinctur.

Rc. Herbae Absinthii siccatae Uncias sex.

Minutim concisis affunde

Spiritus vini rectificati Libras tres.

Digere calore 24—30° in cucurbita vel lagena vitrea, quam vesica irrigata acu pluries perforata clauseris, saepius conquassando per dies sex. Tincturam refrigeratam exprime, ac infundibuli vitrei ope per chartam bibulam filtra, dum Unciarum triginta pondus habeat, ita quidem ut quae desint praevia mixtione Spiritus vini

rectificati cum residuo et nova expressione Tincturae filtrandae addas, qua ratione etiam in praeparatione reliquarum Tincturarum procedendum, ut praescriptum colaturae pondus obtineas.

Serva in vitro bene obturato, loco frigido.

Sit coloris e viridi fusci.

Eodem modo parentur:

Tinctura Botryos mexicanae.

Mexicanische Traubenkrauttinctur.

ex herba concisa.

Coloris e viridi fusci.

Tinctura Trifolii fibrini.

Bitterkleetinctur.

ex herba siccata.

Coloris viridis.

□ ††† Tinctura Aconiti.

Sturmhuttinctur.

Rc. Herbae Aconiti siccatae Unciam.

Concisae affunde

Spiritus vini rectificati Libram.

Digere per quatriduum calore 20—25°, saepius conquassando. Colatura sit Unciarum decem.

Sit coloris viridis.

Eodem modo parentur:

††† Tinctura Belladonnae.

Belladonnatinctur.

ex herba concisa.

Sit coloris viridis.

□ ††† Tinctura Digitalis purpureae.

Rothe-Fingerhuttinctur.

ex herba concisa.

Sit coloris viridis, parum fusci.

††† Tinctura Hyoscyami.

Bilsenkrauttinctur.

ex herba concisa.

Sit coloris viridis.

Tinctura Aloës.
Aloetinctur.

Rc. Aloës lucidae contritae Uncias duas,
Spiritus vini rectificatissimi Libram.

Digere per dies sex calore 20—25°, exprime, et filtra ut sit colatura Unciarum decem.

Sit coloris fusci.

Eodem modo parentur:

□ Tinctura Asae foetidae.
Stinkasandtinctur.

Coloris flavo-fuscescentis.

Tinctura Benzoës.
Benzoetinctur.

Coloris fuscescentis.

□ Tinctura Castorei canadensis.
Canadische Bibergeiltinctur.

Coloris obscure rubro-fusci, odoris proprii sed non tam insignis quam Tincturae Castorei moscovitici, ac magis ingrati; aquae destillatae instillata illam e fuscescenti albidam et valde lactescentem reddat, quae copia liquoris ammonii caustici affusa

fere limpida fiat, et colore fusco tingatur. Cum duabus partibus liquoris *Ammonii pyro-oleosi succinici* mixta floccos copiosos dilute fuscos demittat, qui agitatione cum liquore facile commisceri possunt, nec in massam quasi resinosam coëunt.

□ Tinctura Castorei moscovitici.

Russische Bibergeiltinctur.

Coloris uti prior sed magis fulvi, odoris proprii gravissimi, haud ingrati; aquae destillatae instillata illam flavescenti-opalescentem reddat, quae copia liquoris ammonii caustici affusa clarior fiat, et colore luteo vix interdum rutilo tincta appareat. Cum liquore *Ammonii pyro-oleosi succinici* uti prior se exhibeat.

Tinctura Catechu.

Catechutinctur.

Coloris saturate rubri.

□ Tinctura Galbani.

Mutterharztinctur.

Coloris fuscescentis.

□ Tinctura Guajaci Resinae.

Guajaktinctur.

e resina nativa.

Coloris saturate fusci.

Tinctura Kino.
Kinotinctur.

Coloris saturate rubri.

□ Tinctura Myrrhae.
Myrrhentinctur.

Coloris e rutilo fusci pallidioris.

Tinctura Angelicae.
Engelwurzeltinctur.

Rc. Radicis Angelicae concisae Uncias sex.
Cucurbitae vel lagenae vitreae immissis affunde
Spiritus vini rectificati Libras tres.

Digere calore 24 usque 30 graduum saepius agitando per dies octo. Tinctura refrigerata expressa, et uti praecedentes filtrata Unciarum triginta ponderi par sit. Serva in vitro probe obturato loco frigido.

Sit coloris e flavescenti fusci.

Eodem modo parentur:

Tinctura Calami aromatici.
Kalmustinctur.

e radice concisa.

Coloris fuscescentis.

□ Tinctura Chinae.

Chinatinctur.

e cortice Chinae fuscae contuso.

Coloris rubro - fusci.

□ Tinctura Corticum Aurantiorum.

Pomeranzenschalentinctur.

e flavedine corticum Aurantiorum contusa.

Coloris fuscescentis.

□ Tinctura Gentianae.

Enziantinctur.

e radice contusa.

Coloris e flavo fusci.

Tinctura Quassiae.

Quassientinctur.

e cortice contuso.

Coloris e flavo fusci.

Tinctura Ratanhiae.

Ratanhiatinctur.

e radice contusa.

Coloris fusco-rubri.

Tinctura Scillae.

Meerzwiebeltinctur.

e radice minutim concisa.

Coloris fusci.

□ Tinctura amara.

Bittere Tinctur.

Rc. Herbae Centaurii minoris,
Pomorum Aurantiorum immaturorum,
Radicis Gentianae, singulorum Uncias duas,
Zedoariae Unciam.

Concisis et contusis affunde
Spiritus vini rectificati Libras tres.

Ceterum uti in paranda Tinctura Absinthii procede, et colatura sit Unciarum triginta.

Sit coloris fusci, parum virescentis.

Tinctura Arnicae.

Wohlverleihtinctur.

Rc. Florum Arnicae Unciam cum dimidia.
Concisis affunde
Spiritus vini rectificati Libram cum dimidia.
Ceterum uti in paranda Tinctura Absinthii procede. Colatura sit Unciarum decem.

Sit coloris e fusco flavescentis.

Eodem modo paretur:

Tinctura Croci.

Safrantinctur.

Coloris aurantiaci.

□ Tinctura aromatica.

Gewürzhafte Tinctur.

Rc. Cassiae cinnamomeae Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum aromaticorum,
Radicis Galangae,
Zingiberis, singulorum Unciam dimidiam.

Contusis et concisis affunde

Spiritus vini gallici fortioris Libras duas.

Ceterum paretur uti Tinctura Angelicae. Colatura sit Unciarum viginti.

Coloris sit e rubro fusci intensioris.

Tinctura Benzoës composita.

(Balsamum Commendatoris.)

Zusammengesetzte Benzoëtinctur. (Commandeur- oder Wundbalsam.)

Rc. Aloës lucidae contusae Unciam dimidiam,
Balsami peruviani Unciam,
Benzoës contusae Uncias quatuor cum dimidia,
Spiritus vini rectificatissimi Libras tres.

Leni calore in vitro vesica clauso per triduum digerantur, dein filtrentur. Serva in vitro obturato.

Sit coloris lucide fusci.

Tinctura Calami aromatici composita.

Zusammengesetzte Kalmustinctur.

Rc. Pomorum Aurantiorum immaturorum contusorum Uncias duas,

Radicis Calami aromatici Uncias tres,
Zedoariae,
Zingiberis albi, singularum concisarum Unciam,
Spiritus vini rectificati Libras tres.

Post digestionem per dies quatuor calore 25 — 30° exprime et filtra. Colatura sit Unciarum triginta.

Sit coloris fuscescentis.

□ Tinctura Cantharidum.

Kantharidentinctur.

Rc. Cantharidum contusarum Unciam,
Spiritus vini rectificati Uncias sedecim.

Digere calore 20° in vitro clauso per dies sex. Tandem expressa et filtrata colatura Unciarum quatuordecim servetur caute in vitro clauso.

Sit coloris fuscescentis.

□ ††† Tinctura Cantharidum concentrata.

(Pro usu externo.)

Concentrirte Kantharidentinctur. (Zum äusserlichen Gebrauch.)

Rc. Cantharidum contusarum Uncias tres,
Spiritus vini rectificatissimi Libram.

Macera per triduum calore 20°, exprime et filtra. Sit colatura Unciarum decem.

Coloris saturatioris quam prior.

Tinctura Capsici annui seu Piperis hispanici.

Spanische Pfeffertinctur.

Rc. Fructuum Capsici annui concisorum Uncias duas,
Spiritus vini rectificatissimi Libram.

Digere per triduum calore 30°, exprime et filtra. Sit colatura Unciarum decem.

Coloris fuscescentis.

□ Tinctura Cardamomi.

Cardamomentinctur.

Rc. Seminum Cardamomi minutim contusorum Uncias quinque,
Spiritus vini rectificatissimi Libras duas.

Digere calore 25—30° per sex dies, exprime et filtra. Sit colatura Unciarum viginti.

Coloris e flavo fusci.

Eodem modo parentur:

□ Tinctura Caryophyllorum aromaticorum.

Gewürznelkentinctur.

e Caryophyllis aromaticis contusis.

Coloris fusci intensioris.

Tinctura Cascarillae.

Cascarillentinctur.

e cortice Cascarillae contuso.

Sit coloris fusci obscurioris.

□ Tinctura Cinnamomi acuti.

Zimmttinctur.

e Cinnamomo acuto contuso.

Sit coloris e rubro fusci.

Tinctura Colombo.

Colombotinctur.

e radice Colombo contusa.

Sit coloris fulvi.

Tinctura Galangae.

Galganttinctur.

e radice Galangae contusa.

Sit coloris fusci.

Tinctura Hellebori nigri seu Melampodii.

Schwarz-Nieswurztinctur.

e fibris et fibrillis radicis Hellebori nigri.

Sit coloris fusci.

Tinctura Macidis.

Macistinctur.

e Macide concisa.

Sit coloris rutili.

□ Tinctura Pimpinellae.

Pimpinelltinctur.

e radice contusa.

Sit coloris flavo-fuscescentis.

□ Tinctura Valerianae.

Baldriantinctur.

e radice Valerianae sylvestris contusa.

Sit coloris fusci.

Tinctura carminativa.

Blähungstreibende Tinctur.

Rc. Radicis Zedoariae Uncias quatuor,
Calami aromatici,
Galangae, singulorum Uncias duas,
Florum Chamomillae romanae,
Seminis Anisi,
Carvi, singulorum Unciam,
Baccarum Lauri,
Caryophyllorum, singulorum Drachmas sex,
Flavedinis Corticum Aurantiorum,
Macidis, singulorum Unciam dimidiam.

Concisa et contusa digere cum
Aquae Menthae piperitae,
Spiritus vini rectificatissimi, singulorum Unciis viginti quatuor,

per sex dies calore 25 — 30°, exprime et filtra. Sit colatura Unciarum quadraginta.

In dispensatione Partibus septem Tincturae adde
Spiritus muriatico-aetherei Partem unam.

Sit limpida, coloris fusci.

Tinctura Castorei moscovitici aetherea.

Aetherische russische Bibergeiltinctur.

Rc. Castorei moscovitici minutim concisi Unciam,
Spiritus sulphurico-aetherei Uncias sex.

Macera in vitro clauso per dies octo subinde agitando, tum filtra.

Sit coloris fuscescentis.

□ Tinctura Chinae composita.

(Elixir roborans Whyttii.)

Zusammengesetzte Chinatinctur. (Whytt's stärkendes Elixir.)

Rc. Corticis Chinae fuscae contusi Uncias quatuor,
Corticum Aurantiorum incisorum,
Radicis Gentianae, singulorum Unciam cum dimidia,
Spiritus vini gallici Libras quatuor.

Digere calore 25 — 30° subinde agitando per dies sex. Tincturam expressam, et filtratam Uncias quadraginta aequantem vitro obturato serva.

Sit coloris e rubro fusci, limpida, et cum aqua mixta potius opalescat quam lactescat.

Tinctura Colchici e radice.

Zeitlosenwurzeltinctur.

Rc. Radicis Colchici recentis Uncias quatuor,
Spiritus vini rectificati Uncias sex.

Macera per hebdomadem, exprime et filtra.

Sit coloris dilute fusci

Tinctura Colchici e semine.

Zeitlosensaamentinctur.

Rc. Seminum Colchici contusorum Unciam dimidiam,
Spiritus vini rectificati Uncias sex.

Digere calore 20—25° per sex dies, exprime et filtra. Sit colatura Unciarum quinque.

Sit coloris e flavo fusci.

Eodem modo parentur:

Tinctura Hyoscyami seminis.

Bilsenkrautsaamentinctur.

Coloris e flavo fusci.

Tinctura Stramonii seminis.

Stechapfelsaamentinctur.

Coloris e flavo fusci.

Tinctura Colocynthidis.

Koloquintentinctur.

Rc. Colocynthidis à seminibus liberatae et minutim concisae Unciam,
Seminis Anisi stellati Drachmam,
Spiritus vini rectificatissimi Libram.

Digere calore. 25 — 30° per dies sex. Tinctura expressa et filtrata sit Unciarum decem.

Coloris e fuscescenti flavi.

Tinctura Euphorbii.

Euphorbiumtinctur.

Rc. Euphorbii pulverati Unciam,
Spiritus vini rectificatissimi Libram.

Macera per triduum et filtra. Sit colatura Unciarum undecim.

Coloris e flavo fusci.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

Aetherische essigsaure Eisentinctur.

Rc. Ferri oxydati rubri Uncias duas.

Coque in

Acidi muriatici Unciis octo

per horam in cucurbita vitrea. Liquorem filtratum dilue cum

Aquae destillatae Octuplo

et adde

Liquoris Kali caustici

quamdiu praecipitatum inde producitur. Hoc edulcoratum et paullulum siccatum inter chartam bibulam preme, quamdiu charta inde humescit. Massam obtentam statim et in portiunculis immitte in

Acetum concentratum,

interdum bacillo agitando, et leni calore adhibendo, donec omne solutum fuerit. Solutionis filtratae Unciis novem adde

Aetheris acetici Unciam cum dimidia,

Spiritus vini rectificatissimi Uncias tres.

Serva in vitro bene clauso.

Sit coloris rubro-fusci, ponderis specifici 1,025—1,030.

Tinctura Ferri ammoniata.

(Tinctura Ferri aperitiva.)

Eisensalmiaktinctur. Eröffnende Eisentinctur.

Rc. Ammonii muriatici martiati Unciam,
Spiritus vini rectificatissimi Uncias quatuor.

Diligenter misce, et calore haud adhibito Tincturam aurei coloris extrahe, quae filtrata in vitro obturato servetur.

Sit coloris aurei, et tinctura gallarum et liquore kali borussici ferrum inesse satis prodat.

Tinctura Ferri pomati.

Eisentinctur mit Aepfelsaft.

Rc. Extracti Ferri pomati Uncias duas.
Solve in
Aquae Cinnamomi vinosae Libra.

Solutionem post viginti quatuor horas a residuo per colum defunde, et in vitro obturato serva.

Sit coloris nigri, et liquore kali borussici affuso ferrum inesse satis prodat.

Eodem modo paretur:

Tinctura Ferri cydoniata.

Eisentinctur mit Quittensaft.

Tinctura Ferri tartarisata.

(Tinctura Martis Ludovici.)

Weinsteineisentinctur. Ludwig's Eisentinctur.

Rc. Ferri sulphurici crystallisati,
Tartari depurati, singulorum Uncias sex.

Coquantur cum

Aquae communis Libris sex,

continue agitando, donec miscela consistentiam mellis adepta fuerit. Residuo affunde

Spiritus vini gallici Libras sex,

et post solubilis solutionem filtra.

Sit limpida, coloris fusco-flavi, et cum kali borussico ferrum prodat.

Tinctura Formicarum.

(Loco Spiritus Formicarum.)

Ameisentinctur. (Statt des Ameisengeistes.)

Rc. Formicarum recenter collectarum a quisquiliis mundatarum Libras duas,
Spiritus vini rectificati Libras sex.

Macera in cucurbita vitrea per triduum calore 20—25 ^{0}, exprime, et filtra. Serva in vitro bene obturato.

Sit limpida, coloris fusci, odoris grati, acidulo-spirituosi, et cum aqua destillata mixta satis lactescat.

Tinctura Guajaci ammoniata.

Ammoniumhaltige Guajaktinctur.

Rc. Resinae Guajaci nativae tritae Unciam,
Liquoris Ammonii vinosi Uncias sex.

Maceratione in vitro clauso per sex dies, et saepius conquassando extrahatur Tinctura, quae decanthata in vitro bene obturato loco frigido servetur.

Sit coloris obscure fusci.

Tinctura gingivalis balsamica.

Balsamische Zahntinctur.

Rc. Catechu,
Myrrhae, singulorum Unciam.

Pulveratis ac mixtis instilla
Balsami peruviani Drachmas duas.

Adde
Spiritus vini rectificati,
Cochleariae, singulorum Uncias quatuor.

Digere per septimanam et filtra.

Tinctura Iodii.

Iodtinctur.

Rc. Iodii Grana quadraginta,
Spiritus vini alcoholisati Unciam.

Digerendo et saepius agitando solve, et liquorem sollicite decanthatum in vitro bene obturato serva.

Sit coloris intense rubro-fusci, et unica gutta Unciis sex ad octo solutionis amyli admixta hanc colore coeruleo tingat.

Tinctura kalina.

(Tinctura Antimonii acris.)

Kalinische Tinctur. (Scharfe Spiessglanztinctur.)

Rc. Kali caustici sicci Uncias quatuor.

In mortario ferreo calefacto in pulverem tritas ingere in

Spiritus vini alcoholisati, quem leniter calefactum cucurbita continet, Libras duas.

Probe agitentur, tum imposito alembico vitreo, cui luti farinacei et vesicarum ope excipulum adjunctum sit, digerantur arenae balneo per aliquot dies, ac spiritum, qui destillavit, in cucurbitam refunde. Kali caustico soluto tinctura a sedimento decanthetur, ac in vitro obturato servetur.

Sit obscure e rubro fusca, ponderis specifici circiter 0,904 — 0,910.

Tinctura Moschi.

Moschustinctur.

Rc. Moschi Drachmas duas,

Spiritus vini rectificati Uncias tres.

Macera in vitro obturato saepius conquassando, donec Moschus fere totus solutus fuerit. Tinctura colata aequet pondus Unciarum trium. Serva in vitro probe clauso.

Sit coloris fuscescentis, et odore moschi insignis.

††† Tinctura Opii benzoïca.

(Elixir paregoricum.)

Benzoësäurehaltige Opiumtinctur.

Rc. Acidi benzoïci,
Camphorae,
Olei Anisi,
Opii, singulorum Drachmam,
Spiritus vini rectificati Libras duas.

Digere per dies tres, tum filtra.

Sit coloris e fusco flavi.

Nota. *Quaelibet Uncia circiter continet quod ex Granis duobus cum dimidio Opii in Spiritu vini rectificato solubile est.*

□ ††† Tinctura Opii crocata.

(Laudanum liquidum Sydenhami.)

Safranhaltige Opiumtinctur. (Sydenham's flüssiges Laudanum.)

Rc. Opii caute siccati et pulverati Uncias quatuor,

Croci Unciam cum dimidia,
Caryophyllorum,
Cassiae cinnamomeae, singulorum contusorum Drachmas duas,
Vini malacensis Uncias viginti quatuor.

Digere lege artis calore 25 — 30° per triduum, vel donec Opium, quantum fieri potest, solutum fuerit. Tum exprime et liquorem, cum subsederit, filtra. Tinctura pondus Unciarum viginti quatuor aequet, addito tanto Vini malacensis, quantum ad hoc pondus restituendum opus fuerit. Serva caute in vitro bene clauso.

Sit coloris saturate e flavo fusci, odoris opii praevalentis, crocum simul prodentis, et gutta una solutionem Granorum duorum ferri muriatici in Unciis quatuor aquae destillatae colore hyacinthino tingat.

Nota. *Drachma hujus Tincturae continet quod ex Granis decem Opii in menstruo adhibito, et guttulis decem inest circiter quod ex Grano uno Opii in menstruo adhibito solubile est.*

††† Tinctura Opii nigra.

Schwarze Opiumtinctur.

Rc. Opii caute siccati et comminuti Uncias octo,
Nucum moschatarum contusarum Unciam cum dimidia,

Croci Unciam dimidiam,
Aceti boni cerevisiae Libras quatuor.
Coque per horae quadrantem, tum adde
Sacchari Uncias quatuor,
Faecum cerevisiae Uncias duas.
Stent in fermentatione loco calido per sex hebdomades, tum filtra, et blando calore ad remanentiam Unciarum quatuordecim inspissa.

Sit coloris obscure fusci, fere nigri, consistentiae syrupi.

Nota. *Quaevis Uncia continet circiter Drachmas quatuor et dimidiam Opii solubilis.*

□ ††† Tinctura Opii simplex.

(Tinctura thebaica.)

Einfache Opiumtinctur. (Thebaische Tinctur.)

Rc. Opii caute exsiccati et comminuti Uncias duas,
Spiritus vini rectificati,
Aquae Cinnamomi simplicis, singulorum Uncias sex.

Paretur uti Tinctura Opii crocata. Pondus sit Unciarum duodecim, addendo tanto menstrui aquoso-spirituosi, quantum in pondere defuerit.

Sit coloris e rubro fusci, obscurioris, et cum solutione ferri muriatici uti tinctura opii crocata se exhibeat.

Nota. *Quaevis Drachma continet, quod ex Granis decem in menstruo adhibito, et guttulis decem circiter inest, quod ex Grano uno solubile est.*

Tinctura Pini composita.

(Tinctura Lignorum.)

Zusammengesetzte Fichtentinctur. Holztinctur.

Rc. Turionum Pini concisorum Uncias tres,
Baccarum Juniperi contusarum,
Ligni Guajaci raspati, singul. Uncias duas,
Sassafras concisi,
Santali rubri concisi, singulorum Unciam,
Spiritus vini rectificati Libras tres.

Tinctura digerendo lege artis extracta exprimatur et filtretur.

Sit coloris e fusco rubri.

□ Tinctura Rhei amara.

Bittere Rhabarbertinctur.

Rc. Radicis Rhei chinensis Uncias duas,
Gentianae Unciam dimidiam,
Serpentariae virginianae Drachmam cum dimidia.

Minutim concisas digere per triduum cum
Spiritus vini rectificati Libris duabus.
Exprime et filtra. Colatura sit Unciarum viginti.

Sit coloris saturate fusci.

□ Tinctura Rhei aquosa.

Wässerige Rhabarbertinctur.

Rc. Radicis Rhei chinensis in taleolas tenuissimas scissae Unciam cum dimidia,
Kali carbonici depurati Drachmas tres.
Infunde
Aquae destillatae fervidae Uncias octo.
Macera per duodecim horas, et cola. Colaturae decanthatae Unciarum decem admisce
Aquae Cinnamomi vinosae Uncias duas.

Sit coloris saturate rubro-fusci.

□ Tinctura Rhei vinosa seu dulcis.

(Tinctura Rhei Darelii.)

Weinige oder süsse Rhabarbertinctur.

Rc. Radicis Rhei chinensis concisae Uncias duas,
Flavedinis Corticum Aurantiorum concisae Unciam dimidiam,

Cardamomi minoris contusi Drachmas duas,
Vini malacensis Libras duas.

Digere lege artis per quatriduum, exprime et admisce
Sacchari albi pulverati Uncias tres.

Iterum digere, donec Saccharum solutum sit. Tincturam subsidendo defaecatam, colatam, et quoad pondus Libras duas aequantem serva.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Scillae kalina.

Kalinische Meerzwiebeltinctur.

Rc. Radicis Scillae siccatae concisae Uncias duas,
Kali caustici Drachmas duas.

Digere per triduum in
Spiritus vini rectificati Unciis duodecim,
tum exprime et filtra. Sit colatura Unciarum decem.

Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Succini.

Bernsteintinctur.

Rc. Succini grossiuscule pulverati Uncias sex.

In sartagine ferrea leniter tostis affunde
Spiritus vini alcoholisati Libras duas.

In cucurbita alembico clausa digerantur leni calore per aliquot dies, tum filtra.

Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Valerianae aetherea.

Aetherische Baldriantinctur.

Rc. Radicis Valerianae silvestris recenter pulveratae Unciam,
Spiritus sulphurico-aetherei Uncias octo.

Maceratione in vase clauso per triduum saepius agitando extrahatur Tinctura, quae decanthetur.

Sit coloris e flavo-fusci.

Tinctura Valerianae ammoniata.

Ammoniumhaltige Baldriantinctur.

Rc. Radicis Valerianae silvestris recenter pulveratae Uncias duas,
Liquoris Ammonii vinosi Uncias duodecim.

Macerentur in cucurbita clausa per triduum, vas saepius agitando. Tincturam saturate fuscam caute decantha, et in vitro bene clauso serva.

Tinctura Vanillae.

Vanillentinctur.

Rc. Vanillae minutim concisae Unciam,
Spiritus vini rectificati Uncias sex.

Tere Vanillam cum sufficiente quantitate Spiritus per dimidiae horae spatium, tunc affunde Spiritum remanentem et macera in vase clauso per septimanam. Exprime et filtra.

Sit coloris fuscescentis.

Nota. *Omnes Tincturae sint limpidae, habeantque odorem et saporem corporum, e quibus extractae sunt. Serventur in vitris epistomiis vitreis obturatis.*

Trochisci bechici seu Liquiritiae citrini.

Gelbe Brustkügelchen.

Rc. Sacchari albi pulverati Libram,
Radicis Liquiritiae,
Iridis florentinae, singularum pulveratarum Unciam,
Croci pulverati Drachmam,
Mucilaginis Gummi Tragacanthae sufficientem quantitatem.

Fiant Trochisci ponderis Granorum sex.
Serva in scatula loco sicco.

Trochisci bechici seu Liquiritiae nigri.

Schwarze Brustkügelchen.

Rc. Pulveris Radicis Iridis florentinae,
Liquiritiae,
Seminis Anisi,
Foeniculi, singulorum Unciam,
Sacchari albi Uncias sedecim,
Succi Liquiritiae in Aqua ferventi soluti Uncias quatuor,
Mucilaginis Gummi Tragacanthae quantitatem sufficientem,

ut fiat pasta in Trochiscos efformanda ponderis Granorum sex.

Serventur loco sicco in scatula.

Trochisci Ipecacuanhae.

Brechwurzelkügelchen.

Rc. Radicis Ipecacuanhae recenter pulveratae Grana triginta sex,
Sacchari albi Uncias quatuor,
Mucilaginis Gummi arabici quantum satis

ut fiat massa, ex qua formentur Trochisci numero centum quadraginta quatuor.

Trochiscus quilibet continet partem quartam Grani radicis Ipecacuanhae.

Unguentum Althaeae seu flavum.

Eibisch- oder gelbe Salbe.

Rc. Decocti mucilaginosi Radicis Althaeae Uncias sedecim,
Seminis Lini,
Foeni Graeci,
singulorum Uncias octo,
Pulveris Curcumae Unciam,
Adipis suillae Libras quatuor.

Coquantur leni igne ad consumtionem humidi, tunc adde

Cerae flavae Uncias octo.

Liquefacta cola.

Sit coloris intense flavi.

□ Unguentum basilicum flavum.

Gelbe Basilikumsalbe.

Rc. Olei Olivarum Libras tres,
Cerae flavae,
Colophonii,

Sebi ovilli, singulorum Libram,
Terebinthinae communis Libram dimidiam.
Leni igne liquata colentur.

Sit coloris e flavo fusci.

□ Unguentum basilicum nigrum.

Schwarze Basilikumsalbe.

Rc. Olei Olivarum Libras tres,
Cerae flavae,
Colophonii,
Picis navalis,
Sebi ovilli,
Terebinthinae communis, singulorum Libram unam.
Leni igne liquata colentur.

Sit coloris obscure fusci.

□ Unguentum Cantharidum.

Kantharidensalbe.

Rc. Olei Cantharidum infusi Uncias sex,
in quibus leni calore liquefiant
Cerae albae Unciae quatuor.
Sedulo agita, pauxillo Aquae fontanae admixto, donec fiat Unguentum e virescenti album.

□ Unguentum cereum.

Wachssalbe.

Rc. Olei Olivarum provincialis Uncias decem,
Cerae albae Uncias quatuor.

Liquata et ab igne remota pauxillum Aquae fontanae admiscendo agitentur, donec refrixerint.

Sit colore albo.

□ Unguentum Cerussae.

(Unguentum album simplex.)

Bleiweisssalbe. Einfache weisse Salbe.

Rc. Cerussae subtilissime pulveratae Uncias quatuor,
Adipis suillae depuratae Uncias sex.

Adipe liquata misceantur exactissime in vase lapideo, et agitentur agitaculo ligneo, donec refrixerint. Nunquam magna copia simul parandum.

Sit albissimum, particulis cerussae non distinguendis.

Unguentum Cerussae camphoratum.

Kampherhaltige Bleiweisssalbe.

Paretur admiscendo cuivis Unciae Unguenti Cerussae
Camphorae tritae Scrupulum unum.

Paretur ex tempore.

Unguentum Cetacei.

Wallrathsalbe.

Rc. Cerae albae,
Cetacei, singulorum Uncias tres,
Olei Olivarum provincialis Libram.

Liquata et ab igne remota paullulum Aquae fontanae admiscendo agitentur, donec refrixerint.

Sit colore albo.

□ Unguentum digestivum.

(Unguentum Terebinthinae compositum.)

Digestivsalbe. (Zusammengesetzte Terpenthinsalbe.)

Rc. Terebinthinae venetae Libram dimidiam,
Vitellos Ovorum quatuor.

Exacte contritis admisceantur
Olei Hyperici Uncia cum dimidia,
Olibani triti,
Myrrhae tritae, singulorum Drachmae tres.

Lenissimo igne diffletur aquosum.

Sit coloris fusci.

Nota. *Ne major copia, quam quae pro mense sufficiat, paretur.*

□ Unguentum Elemi.

(Balsamum Arcaei.)
Elemisalbe. Arcaeusbalsam.

Rc. Adipis suillae,
Elemi,
Sebi ovilli,
Terebinthinae, singulorum Par pondus.
Leni igne liquefacta colentur per linteum.

Sit albo-flavens, odoris terebinthinae et elemi mixti insignis.

Nota. *Si desideratur color ruber in hoc unguento, prius memoratis ingredientibus addatur ligni santali rubri Uncia dimidia.*

Unguentum Hyoscyami.

Bilsenkrautsalbe.

Rc. Herbae Hyoscyami recentis contusae Uncias novem.
Coque leni igne cum
Adipis suillae Unciis sedecim,
donec aquosae partes consumtae sint, deinde exprime, cola ac Unguentum refrigeratum serva.

Cum recens herba haud in promtu esset, siccatae incisae Uncias tres sume, et aquae sufficientem quantitatem adde.

Sit coloris viridis.

Unguentum Hellebori albi.

Weisse Nieswurzsalbe.

Rc. Adipis suillae Libram cum dimidia,
Pulveris Hellebori albi Uncias duas,
Nitri depurati Drachmam,
Saponis mollis,
Sulphuris depurati, singulorum Uncias sex.
Misce, fiat Unguentum.

Sit coloris ex flavo albi.

Unguentum Hydrargyri album.

(Unguentum Mercurii praecipitati albi.)

Weisse Quecksilbersalbe. (Weisse Quecksilberpraecipitatsalbe.)

Rc. Hydrargyri ammoniato-muriatici Unciam,
Adipis suillae lotae Uncias novem.

Exacte misceantur in mortario vitreo aut lapideo, ut fiat Unguentum albissimum, particulis Hydrargyri ammoniato-muriatici non distinguendis.

□ Unguentum Hydrargyri cinereum.

(Unguentum neapolitanum.)

Graue Quecksilbersalbe. (Neapolitanische Salbe.)

Rc. Hydrargyri depurati Uncias duodecim,
Sebi ovilli Uncias octo.

Tere sensim in vase idoneo ad perfectam Hydrargyri extinctionem. Tunc admisce

Adipis suillae Uncias sedecim.

Caute serva.

Sit coloris e coerulescente cinerei, hydrargyri globulis non conspicuis.

Nota. *Ne extinctionem Hydrargyri addita pinguedine rancida promovere studeas.*

Unguentum Hydrargyri rubrum.

(Unguentum Mercurii praecipitati rubri.)

Rothe Quecksilbersalbe. (Rothe Praecipitatsalbe.)

Rc. Hydrargyri oxydati rubri Unciam dimidiam,

Adipis suillae recentis Uncias quinque.

Exactissime misceantur et caute servetur Unguentum.

Unguentum irritans.

Reizende Salbe.

Rc. Liquoris Ammonii caustici fortissimi,

Adipis suillae, singulorum Unciam.

Misce exacte ut fiat Unguentum tenue ex tempore parandum.

Unguentum Kali hydroiodici.
(Unguentum Kalii iodati.)
Hydroiodsaure Kalisalbe. (Iodkaliumsalbe.)

Rc. Kali hydroiodici Drachmam,
Magnesiae carbonicae Grana sex.
Tere additis aliquot guttis Aquae destillatae cum
Unguenti rosati Uncia,
ut fiat Unguentum album, tempore flavescens.

Paretur ex tempore.

Unguentum de Lapide calaminari.
Galmeisalbe.

Rc. Lapidis calaminaris laevigati Uncias duas,
Cerae flavae Uncias tres,
Olei Raparum Uncias quinque.

Cera et Oleo invicem liquatis et ab igne remotis immisce exactissime Lapidem calaminarem.

Unguentum Linariae.
Linariensalbe.

Rc. Herbae Linariae recentis contusae Libram,
Adipis suillae Libras duas.

Coque leni igne ad aquosi consumtionem, tum exprime.

Sit coloris viridescentis.

Unguentum oxygenatum seu nitricum.

Oxygenirte oder salpetersaure Salbe.

Rc. Adipis suillae Partes octo.

Super lenem ignem in vase terreo vitreato liquatae, dum bacilli vitrei ope agitatur, sensim admisce

Acidi nitrici Partem unam,

neque prius ab igne removeatur, quam nullum amplius Gas nitrosum evolvat, et charta exploratoria coerulea non amplius tingatur. Refrigeratum vase clauso loco obscuro serva.

Unguentum populeum.

Pappelsalbe.

Rc. Gemmarum Populi recentium Libram,
Adipis suillae Libras duas.

Contusas et cum adipe probe tritas misce et serva ad aestatem. Tum adde

Herbae recentis Hyoscyami contusae Uncias tres,

et coque, donec omnis humor evanuerit, deinde exprime et cola.

Sit coloris e fusco viridis.

Unguentum rosatum seu pomadinum.

Rosensalbe, Rosenpomade.

Rc. Adipis suillae Libram,
Cerae albae Uncias tres.

Leni igne liquatis et refrigeratis agitando sensim admisce

Aquae Florum Naphae,
Rosarum, singularum Uncias duas,
Olei de Cedro Guttas viginti quatuor,
Bergamottae,
Lavandulae, singulorum Guttas duodecim.

Misce ut fiat Unguentum. Serva in vitro clauso.

Unguentum Sabinae.

(Ceratum Sabinae Londinense.)

Sadeblättersalbe.

Rc. Foliorum Sabinae recentium a caulibus liberatorum Libram,
Cerae flavae Libram dimidiam,
Adipis suillae Libras duas.

Adipi et Cerae simul liquefactis Sabinae folia concoque, tum per linteum exprime.

Sit coloris flavo-viridis.

Unguentum saturninum vid. Ceratum Saturni.

Unguentum sulphuratum compositum.

(Unguentum ad Scabiem Jasseri.)

Zusammengesetzte Schwefelsalbe. Jasser's Krätzsalbe.

Rc. Pulveris Baccarum Lauri,
Sulphuris depurati,
Vitrioli albi ab aqua crystallisationis liberati et pulverati, singulorum Uncias duas,
Adipis suillae Uncias decem.
Misce, fiat Unguentum.

Coloris viridi-citrini.

Unguentum sulphuratum simplex.

Einfache Schwefelsalbe.

Rc. Sulphuris depurati Partem unam,
Adipis suillae Partes duas.
Misce exacte ut fiat Unguentum.

Coloris citrini.

Unguentum Tartari stibiati.

Brechweinsteinsalbe.

Rc. Tartari stibiati subtilissime triti Unciam dimidiam,
Adipis suillae Uncias duas.
Misce exactissime, ut fiat Unguentum albissimum.

Unguentum Terebinthinae.

(Balsamum terebinthinatum Frahmii.)

Terpenthinsalbe. Frahm's Terpenthinbalsam.

Rc. Terebinthinae venetae Uncias octo,
Cerae flavae Uncias quatuor.
Leni calore liquatis et semirefrigeratis adde
Olei Terebinthinae Uncias quatuor,
ut fiat Unguentum flavescens.

Unguentum contra Vermes.

Wurmsalbe.

Rc. Butyri insulsi Uncias tres,
Fellis Tauri inspissati Unciam dimidiam,
Pulveris Aloës lucidae,
Sulphuris citrini,
Colocynthidis praeparatae, singulorum Drachmam unam,

Olei aetherei Absinthii,
Anthos, singulorum Scrupulum unum.
Misce exacte ut fiat Unguentum.

Unguentum Zinci.

(Unguentum de Nihilo.)

Zinksalbe.

Rc. Zinci oxydati albi via sicca parati Drachmam unam,
Unguenti cerei Drachmas novem.
Intime misceantur, ut fiat Unguentum albissimum.

Nota. *Unguenta asserventur in vasis terreis vitreatis, murrhinis, aut porcellaneis charta obtectis loco frigido sicco. In quibus parandis Adeps suilla adhibetur, non nisi, uti quoque jam in Parte I. praescriptum, bene lota sumatur.*

Vinum Colchici ex semine.

Zeitlosenwein.

Rc. Seminum Colchici contusorum Uncias duas,
Vini hispanici Libram.

Digere per dies decem, subinde agitando, tum exprime et filtra.

Sit liquidum, coloris e flavo fusci.

Vinum Ipecacuanhae.

Brechwurzelwein.

Rc. Radicis Ipecacuanhae pulveratae Unciam,
Vini albi hispanici Uncias sedecim.

Macerentur per septem dies saepius agitando, tum exprime, filtra, et serva in vitro bene clauso.

Sit coloris fuscescentis.

Vinum martiatum.

Stahlwein.

Rc. Limaturae Ferri praeparatae Uncias duas,
Cassiae cinnamomeae contusae Unciam,
Vini rhenani Libras duas.

Digere per quatuor dies subinde agitando, tum filtra.

Vinum stibiatum.

(Vinum antimoniatum Huxhami.)

Brechwein.

Rc. Tartari stibiati Grana viginti quatuor,
Vini malacensis Uncias duodecim.

Solve leni digestione, et serva in vitro clauso.

Zincum oxydatum.

(Flores Zinci. Oxydum zincicum.)

Zinkoxyd. Zinkblumen.

Rc. Zinci purioris (Indiae orientalis) in frustula Semunciam vel Unciam aequantia comminuti quantum vis.

Immitte nonnulla frustula in crucibulum satis amplum et altum, et nonnihil in latus inclinatum, inter carbones candentes positum, et ignem urge donec metallum fluat et tandem in flammam erumpat, et Zincum in floccos albos fugaces convertatur; tum imponatur inversum crucibulum aliud, ut tamen aëris atmosphaerici accessus non plane excludatur. Flamma extincta superius crucibulum auferatur, ac ope cochlearis ferrei separetur Oxydum cum vasis adhaerens, tum metallo fuso innatans, quo facto, flamma denuo prorumpente, iterum flocci formati separentur ut antea, donec omne metallum hanc formam induerit. Tum haec operandi ratio repetatur cum aliis frustulis, donec omnis Zinci copia consumta sit.

Zincum oxydatum sic collectum super patinam figulinam non vitreatam refrigeratum cum aqua frigida laevigetur, ut pars levissima separetur omnis, quam per cribrum e setis trajectam ad colum linteum collige, calore 30—40° celeriter sicca, et in pulverem subtilissimum redactam in vitro clauso serva.

Sit pulvis albus, levissimus, insipidus, excandefactus flavescat, denuo refrigeratus iterum albescat, in acido sulphurico sine

effervescentia plane solvatur, et praecipitatum album, affuso liquore ammonii caustici ex hac solutione exortum, ultra saturationem affuso liquore ammonii caustici iterum solvatur, solutione limpida et decolore; a cadmio et plumbo plane liber sit, quod uti in zinco venali dignoscitur.

Zincum sulphuricum.

(Vitriolum Zinci. Sulphas zincicus cum Aqua.)
Schwefelsaures Zink. (Zinkvitriol.)

Rc. Zinci in frustula parva diffracti quantum placet.

Solve in

Acidi sulphurici crudi (anglici) cum partibus quinque Aquae communis diluti quantitate sufficiente.

Solutionem, Zinci copia nova addita, sepone, donec metalla heterogenea praecipitata fuerint, tantillo Ferri hoc modo non separabili excepto. Tum filtra, et lege artis in crystallos redige, quas siccatas serva.

Sint crystalli coloris expertes, subpellucidae, prismaticae, saporis metallici, styptici, in aëre tempore fatiscentes, in aquae partibus duabus solubiles, a plumbo, cupro et cadmio plane liberae, quod uti in zinco venali exploratur.

PARS TERTIA.

CATALOGUS REAGENTIUM

QUIBUS

MEDICAMINA TAM SIMPLICIA

QUAM

COMPOSITA

IN HAC PHARMACOPOEA DESIGNATA

INVESTIGANTUR.

Acetum concentratum.

Acetum dilutum.

Acidum muriaticum.

Acidum nitricum.

Acidum sulphuricum concentratum rectificatum.

Acidum sulphuricum dilutum.

Aether sulphuricus.

Aqua Calcariae.

Aqua hydrosulphurata.

Rc. Ferri sulphurati in frustula contusi Unciam dimidiam.

Immitte in cucurbitam vitream, quae uti in apparatu ad praeparandum Acidum muriaticum descripto cum duabus lagenis conjungatur, quarum quaevis Uncias sedecim Aquae destillatae continet. Tum infunde Ferro sulphu-

rato Acidi sulphurici crudi Unciam, antea cum Aquae fontanae Unciis sex diluti. Cucurbitam claude ope epistomii suberei, quod cum prima lagena ope tubi in duos angulos rectos flexi communicat. Juncturas ope vesicae bene claude. Aquam cum Gase hydrosulphurato saturatam e lagenis exime et in vase bene obturato serva.

Charta exploratoria coerulea.

Lackmuspapier.

Lacmus *(Laccae muscus)* qualis prostat in pulverem tritus quatuor Aquae fontanae partibus infundatur, et per viginti quatuor horas reponatur, vas subinde agitando. Liquore filtrato illinantur segmenta chartae albissimae expansa, ita quidem, ut non nimis saturate tincta sint, quae siccata in vase bene clauso loco umbroso serventur.

Charta exploratoria coerulea rubefacta.

Geröthetes Lackmuspapier.

Charta exploratoria coerulea Aceto diluto vel Acido muriatico valde diluto rubro inficiatur colore, tum siccetur et servetur.

Charta exploratoria lutea.

Rhabarberpapier.

Rc. Pulveris Radicis Rhei optimi Unciam,
Aquae fontanae fervidae Uncias sex.

Digerantur per sex horas. Liquore filtrato illinantur segmenta chartae albissimae, quae caute siccata in vase bene clauso loco umbroso serventur.

Gas hydrosulphuratum seu hydrothionicum.

Schwefelwasserstoffgas. Hydrothionsaures Gas.

Gas hocce e Ferro sulphurato Acido sulphurico diluto in lagena idonea extricetur, et per tubulum vitreum in liquorem perducatur, quem explorare vis.

Liquor Ammonii carbonici.

Liquor Ammonii caustici.

Adhibeatur Liquor adhibita operandi methodo supra descripta in secunda lagena obtentus, nondum dilutus.

Liquor Ammonii hydrosulphurati.

Liquor Argenti nitrici.

Salpetersaure Silberflüssigkeit.

Rc. Argenti nitrici crystallisati Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus octo.
Liquor in vase bene clauso loco umbroso servetur.

Liquor Argenti sulphurici.

Schwefelsaure Silberflüssigkeit.

Argentum nitricum crystallisatum in sufficiente Aquae destillatae copia solvatur, liquor filtratus ope Acidi sulphurici rectificati praecipitetur, ac praecipitatum filtro separatum et ablutum in Aquae destillatae quantitate sufficiente solvatur. Liquor in vitro bene clauso contra lucem munito servetur.

Liquor Auri muriatici.

Salzsaure Goldflüssigkeit.

Aurum numorum, quos Ducatos vocant, solvatur in quantitate sufficiente Acidi muriatici, Acido nitrico, quantum ad solutionem Auri requiritur, guttatim addendo. Solutio leni calore ad siccum evaporet, sal obtentum in Aquae destillatae Partibus viginti quatuor solvatur, et in vitris bene clausis contra lucem munitis servetur.

Liquor Barytae muriaticae.

Salzsaure Barytauflösung.

Rc. Barytae muriaticae Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus octo.
Serva in vitro clauso.

Liquor Barytae nitricae.

Salpetersaure Barytauflösung.

Liquor Barytae muriaticae Duplo Aquae destillatae diluatur, et ope liquoris Ammonii carbonici praecipitetur. Praecipitatum filtratione separatum Aqua destillata bene edulcoratum in Acidi nitrici dilutioris quantitate sufficiente solvatur, et liquor lege artis in crystallos redigatur. Crystalli obtentae siccatae solvantur in

Aquae destillatae Partibus sex.

Serva in vitro clauso.

Liquor Cupri ammoniati.

Rc. Oxydi Cupri, quod sub nomine viridis Brunsvicensis *(Braunschweiger Grün)* venale est, quantum libet.

In lagenam immisso superfunde

Liquoris Ammonii caustici Octuplum

et repone lagenam clausam per triduum subinde agitando. Tum filtra et serva liquorem in vitro bene obturato.

Liquor Ferri muriatici oxydati.

Liquor Kali acetici.

Liquor Kali borussici.

(Liquor Kali ferroso-hydrocyanici.)
Blausaure Eisenkaliflüssigkeit.

Rc. Kali borussici Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus sex.
Serva in vase clauso.

Liquor Kali carbonici puri.

Rc. Kali carbonici puri e Tartaro Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus duabus.
Serva in vitro clauso.

Liquor Kali caustici.

Paretur uti Liquor Kali caustici in Parte secunda, at Calcaria usta e Marmore Carrariensi, quod vocant, aut e Spatho calcareo puriori parata sit, et Kali carbonicum e Tartaro.

Liquor Kali oxalici.

Oxalium in Aquae destillatae quantitate sufficiente solutum addito Kali carbonico puro neutralisetur, et liquor in crystallos redigatur, quae in Partibus sex Aquae destillatae solvantur. Serva in vitro clauso.

Liquor Magnesiae sulphuricae.

Schwefelsaure Bittererdeflüssigkeit.

Rc. Magnesiae sulphuricae Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus tribus.
Paretur ex tempore.

Liquor Natri carbonici.

Kohlensaure Natronflüssigkeit.

Rc. Natri carbonici Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus tribus.
Paretur ex tempore.

Liquor Natri muriatici.

Kochsalzflüssigkeit.

Rc. Salis communis Partem unam.
Solve in
Aquae destillatae Partibus quatuor.
Paretur ex tempore.

Liquor Plumbi acetici.

Essigsaure Bleiflüssigkeit.

Rc. Plumbi acetici depurati Partem unam.

Solve in

Aquae destillatae Partibus quatuor.

Paretur ex tempore.

Spiritus Vini alcoholisatus.

Spiritus Vini rectificatissimus.

Tinctura Gallarum.

Galläpfeltinctur.

Gallae turcicae in pulverem grossiusculum redactae sex Partibus Spiritus vini rectificati infundantur et per aliquot dies reponantur, vas subinde agitando. Liquor filtratus in vase bene clauso servetur.

INDEX NOMINUM LATINORUM.

Nomina prius in officinis usitata et quae secundum nomenclaturam a Gallis introductam formata sunt, literis cursivis distincta sunt.

A.

B.

C.

H.

N.

O.

R.

T.

U.

V.

Z.

INDEX NOMINUM GERMANICORUM.

A.

B.

N.

S.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Calamitas nostri temporis, horrendus ille morbus *Cholera* dictus, cum jam mense Julio nostras quoque plagas propius accederet, secum duxit, ut communicatio cum loco impressionis hujus Pharmacopoeae diutius interrupta esset, hinc protracta publicatio operis, quod totum elaboratum jam mense Majo *Lipsiam* missum fuerat, et cum inde a pagina 265 operae typographicae ab Auctore ipso non correctae essent, nonnulla Errata enata sunt, quae benevolus Lector ignoscet, et quae in sequentibus lineis emendavimus.

Pag. 16 ante primam lineam adde:

Baccae Berberidis. ***Berberisbeeren. Berberizen.***

Berberis vulgaris Linn. Frutex Germaniae. *

Baccae recentes.

Pag. 38 lin. 2. ab ult. loco *Asplenium* lege *Adianthum.*

- 58 post lineam 7. ab ultima adde:

Herba Borraginis. ***Borretschkraut.***

Borrago officinalis Linn. Planta annua in hortis culta.

Pag. 62 post lineam 2. adde:

Herba Hyperici. ***Johanniskraut.***

Hypericum perforatum Linn. Planta perennis pratensis et silvestris Germaniae. *

Herba florens.

Pag.	105	lin. 10 a prima	loco	*Asplenium* lege *Aspidium.*
-	229	- 6 ab ult.	-	possunt l. possent.
-	251	- 6 a prima	-	illiniti l. illiti.
-	260	- ultima	-	Kali depurati l. Kali carbonici depurati.
-	324	- 6 ab ult.	-	digitas l. digitos.
-	330	- 4 ab ult.	-	adhaeruerit l. adhaeserit.
-	331	- 11 ab ult.	-	empyreumate l. empyreuma.
-	337	- 4 a prima	-	Cum aqua l. Ea cum aqua.
-	337	- 2 ab ult.	-	Cum aqua l. Ea cum aqua.

Pag.	339	lin.	3 a prima loco	Drachmas tres lege Drachmas duas.
-	349	-	7 a prima -	nec non l. nec.
-	353	-	10 ab ult. -	Aceti Vini quantum satis l. Aquae fervidae quantum satis.
-	356	-	2 a prima -	singulorum l. singularum.
-	356	-	5 ab ult. -	singulorum l. singularum.
-	359	-	12 a prima -	singulorum l. singularum.
-	390	-	prima -	soluto l. solutae.
-	390	-	11 a prima -	vase l. vasi.
-	407	-	9 a prima -	singulorum l. singularum.
-	407	-	7 ab ult. -	singulorum l. singularum.
-	411	-	7 ab ult. -	leni calore l. lenem calorem.
-	433	-	9 a prima -	evolvat l. evolvatur.

- 433 post lineam ultimam adde:

Unguentum Rorismarini compositum.

(Unguentum nervinum.)

Zusammengesetzte Rosmarinsalbe. (Nervensalbe.)

Rc. Herbae Rorismarini recentis Libram,
Majoranae,

Herbae Rutae, singularum recentium Libram dimidiam,

Baccarum Lauri,

Radicis Pyrethri, singularum Uncias tres.

Contusis et concisis adde

Adipis suilli loti Libras quatuor,

ovilli Libras duas.

Coque lento igne donec aquosum consumtum sit. In Colatura expressa liquescat

Cerae flavae Libra dimidia.

Ab igne remotis et refrigeratis immisce

Olei Rorismarini,

Baccarum Juniperi, singulorum Uncias tres.

Sit e flavo viride, odoris fortis Rorismarini.

Corrigenda in Pharmacopoea Slesvico-Holsatica.

Kiliae, Libraria Universitatis.

Praeter emendationes sub fine Operis adjectas benevolus Lector sequentes adhuc in usum trahat:

Pag. 183. lin. 2 et 3 ab ult. loco Unciam cum dimidia lege Libram cum dimidia.

Pag. 221. lin. 4 ab ult. loco Uncias tres lege Libras tres.

Pag. 267. lin. prima post Kalium jodatum adde seu Kali hydrojodicum.

Pag. 287. lin. 10 ab ult. loco Libris duabus lege Partibus duabus.

Pag. 291. lin. 10 ab ult. loco Liquor stypticus Loofii l. Liquor stypticus.

Pag. 334. lin. 8 loco Grana sedecim lege Grana triginta duo.

Pag. 360. lin. penult. loco Uncias sex lege Libras sex.

Pag. 401. lin. 5 loco Libram cum dimidia lege Libram.

Es wird angelegentlichst gebeten, dieses Blatt der Pharmacopoea beizufügen.